

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,
Quinctum fratrem

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm XII Pavlli
Manvtii Commentarivs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS

A D

T · POMPONIVM · ATTICVM

LIBRVM · XII.

PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



VNDECIMO die postquam a te discesseram, hoc litterularum exaravi, egrediens e uilla ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano, ibi unum diem. v. Kal. igitur ad constitutum: atque utinam continuo ad complexum meae Tulliae, ad osculum Atticae possim currere. quod quidem ipsum scribe quaeso ad me; ut, dum consisto in Tusculano, sciam, quid grarriat: sin rursus licatur, quid scribat. eiq. interea aut scribes salutē, aut nunciabis, itemq. Piliae: & tamen, etsi continuo

congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis. Cum complicarem hanc epistolam, noctu abundus ad me uenit cum epistola tua tabellarius. qua lecta, de Atticae febricula scilicet ualde dolui. reliqua, quae expectabā, ex tuis literis cognoui omnia. sed quod scribis, igniculum matutinum *ἡσπυτιχάρον* est memoriola uacillare. ego enim *iv. kal. Axio* dederam, tibi *iii. Quinto* quo die uenissē, id est v. kal. hoc igitur habebis, noui nihil. quid ergo opus erat epistola? quid, cum coram simus, & garrimus quidquid in buccam est profecto quaedam *λέξιν*, quae habet, etiam si nihil subest, collo- cutione ipsa suauitatem. Vale.

EXPLANATIO



AD CONSTITVTVM } ut conuenit inter nos, ut constituimus, & praemitit loci nomē, ubi v. Kal. esse constituerat, quod hac de re cum Attico ante discessum locutus erat, ut nominare necesse non esset. nam, cum dicit, v. Kal. igitur; aduerbiū, Igitur, hoc desiderat, ut una locuti sumus, ut tu scis me constituisse. & obseruandum est, Constitutū, esse uerbum iuris, ut in oratione pro Caecina, Qui ad constitutum experiundi iuris gratia uentissent. & pro Coelio, Cum sit ijs constitendum, numquam se ne congressu quidem, & constituto coepisse de tantis iniurijs experiri. nam in iudicium alter alterum uocabat die cōstituta. &, quoniam saepe accidit, ut ijs, qui litigant, non eo die, quem sibi ad agendam causam constituerunt, iudicio disceptent, sed in alium diem differant: ideo in epistola ad Marium, translatione a litigantibus sumpta, dixit, Si quod constitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas: hoc est: Si tu fortasse his diebus, quibus nos una futuros esse uides, podagrae medicinam facere constitueras: differ in alium diem: ne te ex curatione infirmum & languentem offendamus; sed bene ualentes, hilarius & li-

M m beralius

beraliter uiuere possimus. **Currere** & Romam: quo haec epistola data est, ut ea, quae subsequuntur, declarant. **Quod quidem ipsum** & osculum. & uidetur hoc in loco Osculum non basium significare, sed paruū os, cum sequatur, **Garriat**. **Quid garriat** & apte, garriat, de puella: nam infantes, cum loquuntur, hilaritate quadam & sono uocis auiculas uidentur imitari. itaque, quod auium proprium uerbum est, eleganter ad puellam transfudit. **Sin rusticatur** & hinc apparet, hanc epistolam Romam esse missam. nam hoc intulit, cum certum nesciret, utrum Romae Attica cum patre, an in praedijs esset sine patre. **Aut scribes salutem, aut nunciabis** & scribes, si rusticatur: nunciabis, si tecum Romae est. **Nocturnus** & qui de multa nocte ambulasset. **Scilicet** & hoc in loco, Scilicet, assueurationem significat, ut in epistola ad Lentulum, Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod fore suspicor, &c. Et hic epist. 6. lib. 4. De Lentulo scilicet sic fero, ut debeo: uirum bonum, & magnum hominem perdidimus. **Quod scribis, igniculum matutinum** & igniculum matutinū **γερουτικόν** esse, Atticus scripserat: itaque se, qui senex esset, more senum eo delectari. Cui Cicero respondens, Est id quidem, inquit, **γερουτικόν**, sed **γερουτικόν** repono, memoria uacillare. id est, tu quidem in eo senem te esse ostendis, quod igniculo matutino uteris; sed multo magis, quod memoria uacillas, (hoc autem uitio senes plerumque laborare solent) cum, quibus ego diebus ad Axium, ad te, ad Quintum fratrem litteras dederim, sis oblitus. non enim ijs diebus dedi, quibus ipse putas, sed v. Kal. ad Axium, **III.** ad te, v. ad fratrem. Videtur autem, cum haec epistola scripta est, anni tempus id fuisse, ut frigoris aut nihil, aut parum admodum esset; cum supra dixerit, **Sin rusticatur**. rusticari enim tempestate frigida, non solemus; neque, Atticum filiolum infantem hieme rusticatum misisse, uerisimile est. Hoc attexere non alienum putauī: ut intelligatur, eo tempore igniculo matutino uti, plane **γερουτικόν** fuisse. nā, cum frigoris aliqua uis est, tum igne uti non dicitur esse **γερουτικόν**: siquidem id non a solis senibus, sed omnino ab omnibus necessario fieri uidemus. **Id est v. Kal.** & teneo meum institutum, ut sine libris antiquis nihil affirmem: quid tamen, si legatur, **III. Kal.** hoc est, prid. Kal. ut ordo continetur, **IV. III.** **III.** est autem & aliis in locis error, ortus, ut ego opinor, ab huiusmodi causa, quod librarij, ubi scriptum uidebant **III.**, opinione decepti, u litteram esse putarunt, & u pro **II** reposerunt: deinceps alij peritiores, cum u intelligerent antiquam notam esse oportere, v fecerunt.

Cicero S. D. Attico 2.

Hic rumor est, T. Murcum perisse naufragio, **Afium delatum uiuum in manus militum**, & naues delatas **Viticam** reflatu hoc. Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, ut **Patiens** affirmat, sed auctor nullius rei quisquam. **Habes, quae, dum tu abes, locuti sunt.** **Ludi inter ea Praeneste, ibi Hirtius, & isti omnes, & quidem ludi dies octo, quae ce- nae? quae deliciae? res interea fortasse transacta est.** **o miros homines, at Balbus aedificat: si quid autem uerum, si quaeris, homini non recta, sed uoluptaria quarenti non ne seclat?** Tu interea dormis. iam explicandum est **apud Balbum**, si quid acturus es. si quaeris quid putem, ego fructum puto, sed quid multa: iam te uidebo, & quidem, ut spero, de uia recta ad me. simul enim & diem Tyrannioni constituemus, & si quid aliud. **Vale.**

EXPLANATIO

Hoc igitur habebis, noui nihil & aduerbium, Igitur, quo spectet, obscurum est. connecti enim cum superioribus non potest, sed, ut ego arbitror, ad Attici epistolam refertur: in qua huiusmodi aliquid fortasse posuerat, Scribes ad me, si quid habebis. cui Cicero respondens, Hoc igitur, inquit, habebis, noui nihil. **Hic rumor est**, & epistolae initium fecimus. nam ante, quasi pars esset antecedentis epistolae, continuata oratione legebatur. in quo illa inter se pugnare nemo animaduertat, quod cui ita dicat; Hoc igitur habebis, noui nihil: deinde, res nouas adscribens, infert; Hic rumor est, T. Murcum &c. Atque etiam illa minus inter se cohaerere non intelligebatur, quod superiora scripsit uilla egrediens, cum Atticus esset Romae; haec autem in urbe, cum Atticus, ut opinor, rusticaretur, Romae certe non esset. unde illud, Habes quae, dum tu abes, locuti sunt. & illud, De uia recta ad me. quare hanc partem, quae antea superiori epistolae continens & adiuncta fuerat, non sine causa, ut alteram epistolam, a superioribus separatam uoluimus esse. **T. MURCUM** & quem postea C. Cassius in suas partes traiecit, mox falsis criminibus insimulatum Sex. Pompeius, Magni filius, in Sicilia inter fecit. Appianus appellat Sextum, non Titum; Cicero, Lucium; Paternulus praenomen non ponit. **LOCUTI SUNT** & Romae. **LUDI** & forte in honore Fortunae, quae Praeneste colebatur. **TRANSACTA** & in Africa, interea, inquit, depugnatum fortasse est in Africa, quo Caesar mense Decembri contra Pompeianos, Scipione imperatore bellū tenouante, traiecerat. Hirtius uero & isti ludos curant, cenisque ac delicijs se dant, de rerū exitu non laborantes quasi certi sint Caesarem uicisse. **O miros homines**, subsequitur, cum ironia; quod factui plane sint, qui tantus in rebus tam securo animo dies traducant, manifestum autem est, de bello Africano intelligi; quoniam Alexandrinum confectum iam erat; Hispanum uero significari nō potest, quod ei bello Hirtius interfuit, ut ex ipsius ad Balbum epistola conijcitur. hic autem Romae Hirtium fuisse, apparet ex his uerbis, **Ibi Hirtius, & isti omnes.** **At Balbus aedificat** & ostendit Caesarianos Africanū bel-

ium

iam nihil timere, cum alij ludis operam dent, alij etiam aedificent; quod maiorem animi securitatem significat: quando quidem aedificare non solet, qui rerum mutationem pertimescit. *τι γὰρ αὐτῶ μέλει;* & quid enim ipsi curae est? ita, inquit, Balbus aedificat, quasi non curet in Africa quid agatur. *NON NE BELLICITAE;* & Balbus, quo modo ipse sentit, qui non recta, sed uoluptaria quaerat, praeclare uixit. tu autem nondum deliberasti, quo modo sit uiuendum. *Βελίαιται;* praeclare acta uita est. nam Viuere quandoque ualet iucunde uiuere. unde illud, Cum Pansa uixi; & illud, Quando uiuemus? Non ne uides, inquit, Balbo cum uoluptate uitam esse traductam? at tu interea dormis: non explicas quo modo uiuendum tibi sit: cum Balbus iam uixerit. *DORMIS;* & non decernis, quo modo sit haec uita traducenda. *EXPLICANDVM EST* *ἀπὸ βελίαιται;* & nimium diu quaeris, utrum recta, an uoluptaria sequaris. haec tibi quaestio iam explicanda est: aliquando tibi est decernendum, utram partem eligas. *SI QUID ACTURUS ES;* nunc enim nihil agis, quoniam non explicas, utrum in uita melius sit. quod si acturus aliquid es, & ijs rebus frui cogitas, quae tibi post deliberationem magis expetendae uidebuntur: explicandum aliquando *ἀπὸ βελίαιται* est. qui enim semper deliberat, & quaerit, hoc an illud agat; nihil unquam agit. refertur ad illud, Tu interea dormis. *SI QUAERIS, QUID PUTEM; EGO FRUCTUM PUTO;* & quaeris utrum cum uirtute, an cum uoluptate uiuendum tibi sit: ego, si meam sententiam scire uis, puto uoluptatem esse anteponendam. *QVIV PUTEM;* & in uita melius esse: hoc enim erat Attici *ἀπὸ βελίαιται*. *FRUCTVM;* uetus liber Magnuli, Futurum. mihi, ut est in Bessarionis libro, Fructum placet, hoc est uoluptatem, & usuram commodorum. Frui enim absolute positum, est praesentibus commodis & uoluptatibus uti. patet ex epistola ad Paetum lib. 9. epist. 17. Nihil, inquit, timeo: fruor, dum liceo: opto, ut semper liceat. *IAM TE UIDEBO;* cito enim Romae eris. *AD ME;* domum meam. *SIMVL ENIM ET DIEM TYRANNIONI CONSTITUEMUS;* Tyrannio grammaticus fuit eruditus, qui librum scripsit, de quo epist. 5. is docuit Quintum Ciceronem filium, ut legitur in epistola ad Quintum fratrem, lib. 1. ep. 1. de eodem etiam epist. 4. & 8. lib. 4. Simul diem constituemus, quo die suum librum legendum nobis det. ep. 5. *SIMVL;* & una, uterque. nam eum librum legere cum Attico uolebat: Atticus postea solus legit, cum Cicero Romae non esset. unde illa Ciceronis quasi ex postulatio epist. 5. Verum hoc fuit, sine me? subauditur enim, Tyrannionis librum te legisse; ut ex sequentibus apparet. *SI QUID ALIUD;* si quid aliud erit, quod agendum sit, agemus.

Cicero S. D. Attico. 3.

VNVM te puto minus blandum esse, quam me: aut, si uterque nostrum est aliquando aduersus aliquem, in nos certe numquam sumus. audi igitur me hoc *ἀπὸ τῶς* dicentem. ne uiam mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter, sed quae *ἀπὸ τῶς* tantum sunt, ut sine te sim totos dies. quare obduretur hoc triduum: ut te quoque ponam in eodem *ἀπὸ τῶς*: quod ita est profecto: sed uelim scire, hodie ne statim de auctione, aut quo die uenias. ego me interea cum libellis. ac moleste sero Venonij historiam non habere. sed tamen, ne nihil de re, nomen illud, quod a Caesare, tres habet condiciones, aut emprionem ab hasta, (perdere malo: etsi, praeter ipsam turpiudinem, hoc ipsum puto esse perdere) aut delegationem a mancipio, annua die; (quis erit, cui credam? aut quando iste Metonis annus ueniet?) aut Venonij condicione, semisse. *ἀπὸ τῶς* igitur. ac uereor, ne iste iam auctiorem nullam faciat, sed, ludis factis, clypeo subsidio currat, ne talis uir *ἀπὸ τῶς*. sed *μελίαιται*.

EXPLANATIO

OBVDRETUR hoc triduum, & quo se iuncti fururi sumus. obduretur, ab utroque nostrum. nam tu quoque in eodem *ἀπὸ τῶς*, & in eadem molestia es; propterea quod, ut ego te inuitus, ita tu me non libenter cares. Expectabat autem Cicero eum in Tusculano. *QVOD ITA EST PROFECTO;* in eadem *ἀπὸ τῶς* esse. *DE AUCTIONE;* & post auctiorem. refertur ad uerbum; Venias. auctiorem autem, quam Meto facturus erat, Atticum adesse Ciceronis intererat. nam Meto illa auctiorem proscripti bona, sibi a Caesare dono data, uenditurus erat, ut Ciceroni solueret quod debebat. de hoc latius paullo post. *ET QUO DIE;* forte rectius, Aut quo die. *CVM LIBELLIS;* oblecto. *VENONII;* hunc Cicero, uel Atticis potius in Ciceronis lib. 1. de legibus, exilem in historia dicit esse. *NE NIHIL DE RE;* & quasi haec superiora, quae proxime scripsit, uerba sint, non res. aut, De re, quam nunc agimus, id est de expediendo nomine Metonia. Meto enim Ciceroni pecuniam debebat. epist. 1. lib. 13. *NOMEN ILLUD, QUOD A CAESARE;* & quod Caesaris beneficium recuperaui. nam Caesar ei concesserat, ut a Metone suum nomen posset exigere. alioqui nemo non intelliget, quam difficile fuisset Ciceroni, homini Pompeiano, exigere pecuniam a Metone, qui partes Caesaris secutus erat: cum Pompeiani his temporibus summo in beneficio ponerent, si uita ipsam tueri possent. ideo dicit, nomen illud quod a Caesare, subintellige, recuperaui, cum amissum uideretur. Et obseruandum est, Nomen, hoc in loco significare id, quod nobis debetur, alibi id, quod nos debemus. itaque & Exigere nomina, dicitur, pro exigere id, quod nobis debetur: & Dissoluere nomen, pro dissoluere id, quod ipsi debemus. lib. 1. in Verrem: Cum reperiretur, pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, praedia uendidisse. Pro Plancio: Vtrum igitur, me conturbare oportet; an ceteris, cum cuiusq.

M m 2 dies

dies uenerit, hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissoluere? *TRES* habet condiciones? tribus modis expediri nomen illud potest. *EMPTIONEM* ab hasta, & Caesar proscripti bona dono dederat Metoni, quorum auctiōnem Meto cum facturus esset, Possū, inquit Cicero, emere ab hasta, id est emere in auctiōne, (nam hasta ponebatur, ubi auctiō fiebat) & accipere ex ijs bonis quantum satis sit pro ea summa, quae mihi a Metone debetur. *PERDERE malo*: & quam emere ab hasta proscripti ciuis bona, quod turpe erat: eoq. nomine M. Crassus, ille qui a Parthis caesus est, male audierat, quod Sullanis temporibus multorum ciuū proscriptorum bona solus fere propter auaritiā emisset; unde opes illae immanes, & inuidiosa pecunia breui congesta. *PRAETER ipsam turpitudinem*, & hinc pater, auctiōnem illam, quam Meto facturus erat, de proscripti ciuis bonis fuisse; cum in ea turpitudinem inesse Cicero dicat. Caesarianus igitur Meto, non Pompeianus. Hoc ipsum puto esse *perdere* & non solum, inquit, in hac emptione turpitudō inesset, sed etiam, ut puto, iactura: nam, si dominus commutabitur, quae de bonis proscriptorum empta fuerint, rata non erunt: itaque hoc ipsum, emere ab hasta, puto esse perdere. *DELEGATIONEM a mancipe annua die*. & ex tribus condicionibus, primam posuit, cum dixit, Emptionem ab hasta, nunc secundam persequitur, secunda, inquit, condicio est, si alius ea bona, quae in auctiōne uendentur, emat; eamq. pecuniam, quam Metoni pro emptione debebit, mihi ad annum se esse numeraturum promittat, Metone ipso concedente. Haec est, quam uocat delegationem a mancipe; propterea quod ea ratione Meto non ipse Ciceroni pecuniam soluisset, sed solutionis faciendae curam delegasset mancipi, id est ei, qui illa bona in auctiōne emisset. mancipes enim dicuntur, qui aliquid in auctiōne emunt. Delegationem, igitur, a mancipe, translata solutione a Metone ad mancipem. Delegare, est, quod ipsi facere debemus, alteri mandare, non, simpliciter mandare. delegatio igitur erat, si, quam pecuniam soluere debebat Meto, per alium, qui bona illa emisset, solui iubebat. In oratione pro Domo: Delegaui amico locupletiori. Coelius ep. 1. lib. 8. fam. Hunc laborem alteri delegaui. Et Cicero ipse alibi. *ANNUA, die*: & ad annum, hoc propterea scribit Attico, qui auctiōni affuturus erat; quo facilius inueniatur qui emat, cum sciat se pecuniam non praesentem, sed annua die soluturum. *QVIS erit, cui credam?* & quem mancipem homini Pompeiano praestaturum putem, quod promiserit? *AUT quando iste Metonis annus ueniet?* Ille, cum indignatione dixit; quia cum Meto, cum se antea soluturum esse ad annum promississet, numquam tamen soluerat. quasi dicat: annus iste, mancipi ad soluendum concessus, uereor ne Metonis annus futurus sit, cuius quidem serus admodum est exitus. Alludit autem ad annum Metonis Atheniensis Mathematici, qui constabat ex annis XIX. Vide Aldum filium in libro de Quaesitis per epistolam. *VECTENI condicione semisse*. & tertia condicio Metoniani nominis explicandi. Faciat, inquit, Meto, quod Vectenus debitor mens facit. pendat mihi semissem usuram pro ea pecunia, quam debet. si hoc faciet, acquiescam, de exigendo nomine non agam, de sorte nihil instabo. Vectenum autem debuisse pecuniam Ciceroni, locus ille in libro XV. epist. 14. satis ostendit: Vectenum, ut scribis, & Faberium foueo. duos enim debitores simul nominat: (nam de Faberij nomine saepissime in his libris) a quibus ne acerbius exigeret, Ciceroni Atticus scripserat. *SEMISSE* & semissis usura est, cum pro centenis nummi semi penduntur in anno, id est dimidius in mense. qua ratione centum mensibus dimidium sortis, id est nummi quinquageni amittuntur. dimidium autem sortis, usurae nomine absumptum, recte dicitur, semissis usura: quia pro toto accipitur as: unde, Heres ex asse. *σχιλα* & considera: quid? hoc uidelicet, de tribus condicionibus, quas posui, quae tibi magis e re nostra uideatur esse. *ISTE* Meto, a quo auctiōne fieri uellem, ut inde mihi satisfaceret. *AUCTIIONEM nullam faciat* plus dixit, quam si dixisset, Auctiōnem non faciat. Nullam, quasi me contempto, de solutione minimum laborans. *LVDIS factis* & Praeneste. quibus de ludis in epistola, quae proxime antecedit. *CLYPO* & nomen puto esse debere Caesariani alicuius potentis, quem ludis Praeneste factis putaret Cicero Romam aduolaturum, ut Metoni aere alieno laboranti subsidio esset. Ne talis uir *ἀλογισθῆ* & ne Meto negligatur: ne scilicet ego eum ad pecuniam, quam debet, persoluendam, possim cogere. Talis uir, *θιραγικῶς*. *μελίσι* & curabis: curae erit: de hoc uidelicet Metonis nomine.

Cicero S. D. Attico. 4.

O GRATAS tuas mihi, incundasque litteras quod quaeris? restitutus est mihi dies festus. angebar enim, quod Tiro ἐπεδίδεσθρον te sibi esse uisum dixerat. addam igitur, ut censes, unum diem. Sed de Catone πρόβλημα ἀρχαῖοθεν est, non assequor, ut scribā, quod tui conuiuae non modo libenter, sed etiam aequo animo legere possint. quin etiam, si a sententijs eius dictis, si ab omni uoluntate, consilijsque, quae de rep. habuit,

recedam, ἰδδδσγ. uelim grauitatem, constantiamque eius laudare; hoc ipsum tamē ijs odiosum ἀχοσμα. sit, sed uere laudari ille uir nō potest, nisi haec ornata sint; quod ille ea, quae non sunt, & futura uiderit, & ne fierent, contenderit, & facta ne uideret, uitam reliquerit. horum quid est, quod Atedio probare possimus? sed cura obsecro, ut ualeas; eamque, quam ad omnes res adhibes, in primis ad conualescendum adhibe prudentiam.

EXPLA-

EXPLANATIO

RESTITUTVS est mihi dies festus: & cuius iucunditatem abstulerat metus inualetudinis tuae; quoniam quidem, te sibi rubicundiorum, & in flammatiorem esse uisum, Tiro dixerat. est igitur is dies mihi restitutus, postquam ex tuis litteris, nunc tibi satis recte esse, cognoui. Non enim recte se ualere Atticus scripserat, sed satis recte: cum in extrema episto la Cicero dicat, Adhibe ad conualescendum eam prudentiam, quam ad omnes res soles. **ADDAM** igitur, ut censet, unum diem & ad id tempus uidelicet, quod hic manere constitueram. nam, nisi ita facerem, unus dies amissus esset, quem hac ratione recuperabo, si unum addam. Et sciendum est, Ciceronem hic festos appellare eos dies quos ruri ageret, propterea quod feriaretur ab omnibus negotijs, quemadmodum in urbe festis diebus fieri soleret. **UT** censet & quia, cum Cicero scripsisset, angere se propter Tironis sermonem de Attici rubedine, eoque factum esse, ut festum diem amiserit, cum hilaritate illa, ad quam nos dare festis diebus solemus, frui minime poterit: rescripsit Atticus: Adde igitur unum diem, ut restituatur tibi is, quem amissisti: cum intelligas, de inualetudine mea timendum tibi non esse. **DE** Catone *πρόβλημα ἀρχιμήδειον* est & librum de Catonis uita scribere instituerat: sed ait difficile opus esse, quales Archimedis quaestiones: propterea quod assequi non posset, ut Caesarianos eo libro non offenderet. **NON** assequor & laboro, & contendo; sed non assequor ut scribam, non dicam quod libenter, sed quod equo animo tui conuiuiae possint legere, itaque difficili in loco uersor, quemadmodum ij, qui Archimedis quaestionem aliquam explicare conantur. **TUI** conuiuiae & Caesariani, Balbus, Hirrius, & alij; quos habere in conuiuio saepissime solitus es. **RECEDAM** & sensus est: Si Catonis sententias, quas de rep. dixit, & consilia, quae item de rep. habuit, omit tam; eiusque grauitatem & constantiam minus, quam ueritas postulat, laudare uelim: tamen hoc ipsum audire molestum illis erit: id est, hac ipsa Catonis laude, quamuis imminuta, tamen offendentur: nullam enim profus eius mentionem fieri uellent. **NISI** haec ornata sint, & haec, grauitas & constantia Catonis in rep. administranda: ornata sint, ornate scribantur. *πρόβλημα ἀρχιμήδειον* est & de Catone scribere. nam, si eum *λευδός*, hoc est parce, tenuiter, non ut ueritas postulat, laudabo, tamen Caesarianos offendam: sin uere, multo magis: propterea quod laudare eum uere non possum, nisi haec laudibus illustrem: laudibus autem illustrari debent ob hanc causam, quod ille ea, quae nunc fiunt, & futura uiderit, & ne fierent, contenderit, & facta ne uideret, uitam reliquerit. **A** TIDIO & Caesari. ficto nomine. & fortasse idem, de quo ep. 23. **PROBARE** & ostendere, & persuadere, recte esse factum, quasi dicat: Ex his nihil erit, quod Caesar non reprehendat: itaque eum offendam, si scriptis illa persequi uoluero. Haec epistola post confectum bellum Africanum scripta est; siquidem Catonis interitum ostendit, qui, audita Caesaris uictoria, Uticae se ipse occiderat.

Cicero S. D. Attico.

5.

QVINTVS pater quartum, uel potius millesimum nihil sapit, qui laetetur Luperculo filio, & Statio, ut cernat duplici dedecore cumulatam domum. addo etiam Philotimum tertium, o stultitiam, nisi mea maior esset, singularem: (quod autem olim hanc rem, *ἔργον α* te) fac, non ad *διδασκαλίαν*, sed ad *πείραν* eum uenisse: *ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἀλλοιοῦ πείραν*, ut scribis, haurire, in tantis suis praesertim angustijs? *πῶς τὰ ἄλλα ἀποσκήλη*? sed ipse uiderit. Cato me quidem delebat, sed etiam Bassum Lucilium sua. De Coelio, tu quaeres, ut scribis, ego nihil noni. noscenda est natura, non facultas modo. De Hortensio, & Virginio tu, si quid dubitabis, etsi, quod magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inueneris. Cum Mustella, quemadmodum scribis, cum uenerit Crispus. Ad Aulum scripsi, ut ea, quae bene nossem de auro, Pisoni demonstrarem. tibi. n. sane assentior, & istud nimium duci, & oia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facile perspicio, meisque negotijs impediri cupiditate tua ad me ueniendi. sed me cum esse te puto; non solum quod meam rem agis, uerum etiam quod uidere uideor, quo modo agas. neque enim ulla hora a tui mihi est operis ignota. Tubulum practorem uideo L. Metello, Q. Maximo consulibus, nunc ue-

lim, P. Scaeuola pontifex maximus, quibus consulibus tribunus ple. equidem puto Caepione, & Pompeio: praetor enim P. Furio, Sex. Atilio. dabis igitur tribunatum, & si poteris, Tubulum quo crimine. & uide quaeso, L. Libio, ille, qui de Ser. Galba, Censorino, & Manilio, an Quintio, Manio consulibus tribunus pleb. fuerit: conturbor enim in Bruti epitoma Fannianorum, scripsi, quod erat in extremo: idque ego secutus, hunc Fannium qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii. sed tu me *γλωσσιστικῶς* refelleras: te autem nunc Brutus, & Fannius. ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam, ut apud Brutum est. hunc igitur locum expedies. Ego nisi Tironem Dolabellae obuiam. is ad me idibus reuertetur. te expectabo posttridie. de Tullia mea tibi antiquissimum, esse uideo: idque ita ut sit, te uehementer rogo. Ergo & in integro omnia: sic enim scribis. mihi etsi kalendae uitandae fuerunt, incessionumque *ἀρχέτυπα* fugienda, consiciendaeque tabulae: nihil tamen tanti, ut a te abessem, fuit. cum Romae essem, & te iam iamque uisurum me putarem quotidie tamen horae, quibus expectabam, longae uidebantur. scis me minime esse blandum: itaque minus aliquanto dico, quam sentio.

EXPLA-

EXPLANATIO

LUPERCO filio, & Romae Lupercalia sacra ad expiandos manes mense Februario celebrabantur. in de Luperci, qui ea sacra Lupercalibus in Lupercali facientes, hac illac nudi cursabant. ipsa uero Lupercalia, a Lycaeo, Arcadiae monte, dicta, ut Ouidius scribit, transtulisse in Italiam Euandrum Arcadem Liuius refert, sed ab Ouidio & Liuiio Sex. Pompeius discrepat, qui a Lupercis, amiculo Iunonis, id est pelle caprina, nomen accepisse tradit. De Lupercis & Lupercalibus Varro, Sex. Pompeius, Liuius, Plutarchus, Ouidius de fastis, Cicero pro Coelio, & in Antonium. **STATIO** Quinti Ciceronis liberti, quem, cum in Asia praetor esset, maxime propter fidelitatem manumiserat, de hoc in ep. 5. l. 5. & ep. 2. l. 1. ad Quintum fratrem; & in ea, quam ad Marcum fratrem Quintus scripsit, lib. xv. 1. ad Tironem. **DVPLICI dedecore** & duplex enim dedecus, & filium & libertum Lupercos habere, qui ea sacra non nisi summa laetitia & hilaritate Lupercorum more celebrarent: cum in tantis patriae ruinis non laetari bonum ciuem, sed lugere oporteret. **TERTIVM** & Lupercum. **O stultitiam** & Quinti fratris, **Nisi mea maior esset** & qui, patria tyrannido oppressa, tamen hic maneam. mihi enim, uiro consulari, uidebatur olim inimicorum reip. qui pro patria tantas res in consulatu gessi, tam acrem libertatis defensorem in omni uita sum profellus, multo minus concedendum est, nunc tyranno seruire; quam Quinto fratri, Lupercum esse filium suum, pati, itaque maior, quam illius, stultitia nostra est. **QUOD autem osm hanc rem**, ἔρανον a te. & Osim, dixit, pro Ausim, comicorum more. Quod, inquit, ausim, sub tyranno uiuere, mandatum hoc a te habeo. tu enim mihi hoc in mandatis dedisti, ne discedam; sed in patria potius quam externis in locis, uiuam. ἔρανον autem ualeat Mandatum, auctore Suida, qui ἔρανος idem scribit esse, quod ἔντολόν. alibi aliud significat: sed hic sententia postulare uidetur, ut pro mandato accipiamus, & dixit, Osim, quasi turpe quiddam. **Fac**, non ad διψῶσαν &c. & Quintus, inquit, laetatur, quod filium Lupercum uideat. miror, res enim est eiusmodi, ut propterea ualde laetari, stultum sit uerum fac, & amplam rem esse, & honorificam: numquid enim decet, cum resp. petierit, ulla ex re uehementius laetari; praesertim cum & ipse hoc tempore, qui laetatur, summa ex rei familiaris angustia laboret? hoc autem Cicero μεταφορικῶς protulit, his uerbis: Fac eum non ad aridum laetitia fontem, sed ad Pirenen, id est ad uberrimum, uenisse. (Pirene enim pro uberrimo fonte posuit; siquidem, cum & concinne more fontium scateat, & aquas, ut Strabo refert, non diffluentes habeat, sed stantes, uberrimum sit necesse est) ἀμπνευμα σε μόνον ἀλφειῶν περιήνυ. haurite? in tantis suis praesertim angustijs? uerba sunt Pindari in Nemeis non de Pirene, sed de Arethusa fonte; qua in Achaia terra absorptus Alpheus fluius, diuq. subterfluens, tandem erumpit apud Syracusas in fontem Arethusam: ut, quasi graui pressus onere, tum demum respirare uideatur, ideo uocauit Pindarus Arethusam ἀμπνευμα σε μόνον ἀλφειῶν περιήνυ. quo modo & hic legendum uidetur: ut non de Pirene loquatur Cicero, quae non est ἀλφειῶν ἀμπνευμα, sed ad Arethusam sermonem conuertat, & recitat uerba graeca in Attici litteris usurpata, quod apparet, quia subiungit, Ut tu scribis, alioqui esset μνημοζικόν ἀμάρτημα, si Pindari uerba, de Arethusa prolata, Cicero de Pirene dicta acciperet. **CATO** & liber, quem scripsit de Catonis uita. **SED etiam Bassum Lucilium sua** & subintelligit, delectant. Senius est: Catone meo delector, sed fortasse sine causa, quando etiam Bassum Lucilium, malum scriptorem, sua delectant. **DE Coelio, tu quaeres, ut scribis.** & Cicero consilium erat, ut omnia, quaecumque posset, siue e suppellectile, siue ex argento, in auream pecuniam redigeret, ut scilicet temporibus tam incertis, tamq. periculosis, cum unius libidine cuncta gererentur, rebus suis contractis, & paratior esse ad omnem euentum, & facilius cauere sibi posset. aurum hoc non nisi ab argentarijs poterat cogere, & quoniam in huiusmodi rerum tractatione minus ipse uersatus, in auro timeret, ne sibi ab argentarijs imponeretur: Attico, huius generis interligenti, & ad hanc rem usu peritissimo, conficiendi negotij curam delegauerat. Haec, ut argumentum eorum, quae sequuntur, praepone non alienum fuit. **Nunc ad Cicero uerba. De Coelio:** argentario. **Quaeres:** num aurum nobis dare possit, quamquam non hoc modo uidendum tibi est, num dare possit; sed illud etiam, num daturus bonum sit, non adulterinum, hoc enim significat id quod sequitur, Noscenda est natura, non facultas modo: subintellige, Coelij, unde illud in epistola sequenti: De Coelio, uide quae so ne quae lacuna sit in auro. Quod autem dicit, Ego nihil noui, ualeat hoc, Ego in huiusmodi rebus plane sum rudis: itaque tu quaeres. Iterat eadem in epistola quae sequitur, cum dicit, Ego ista non noui. Hunc locum alij aliter interpunxerant, ut ita scriberent, Noscenda est natura, non facultas modo de Hortensio, & ceteros, sententiam, ut putamus, meliorem secuti, distinctionis notam loco mouimus. **DE Hortensio, & Virgilio tu, si quid dubitabis** & hos quoque argentarios puto fuisse. **Tu:** subaudi quaeres: quaeres autem hoc, num uiri boni sint, & num in auro quod daturi sunt, uirium timere possimus. **Si quid dubitabis:** hoc dicit, quia ipse non admodum dubitabat, nam infert, Etsi, quod magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inuenieris. **Cum Mustella** & ages, forte Mustella & Crispus coheredes erant. itaque agere cum Mustella non poterat, nisi & Crispus, eiusdem hereditatis particeps, adesset. etiam ep. 3. l. 13. De Crispo, inquit, & Mustella uidebis, & uelim scire, quae sit pars duorum. Quo in loco hereditatem significari, manifestum est, cum dicat, Quae sit pars duorum. **Ad Aulum scripsi** & a Pifone argentario aurum sumere Cicero uolebat, interprete Aulo, & quoniam res diutius ducebatur; puto quod argentarius Pifo in permutatione facienda lucro usitato contentus esse nollet, sed aliquanto plus peteret: Cicero,

Cicero, qui rem ad exitum uellet perducere, ad Aulum scripsit, ut per eum Pisoni demonstraret, se optime nosse, quantum pro auro, quod ab argentarijs permutatione acciperetur, dari solet, ut scilicet Pisonem, cum uideret Ciceronem, qui collybi rationem bene nosset, non facile adductum iri, ut praeter consuetudinē penderet, aequiora postularet. Pisonē autē argentarium fuisse, ostendit etiam locus ille in l. 13. ep. 2. Pisonem, sicubi de auro. Et eodem lib. ep. 4. Si quid poteris, cum Pisonē conficies: Aulus enim uideatur in officio futurus. Semper enim, ubi quid agendum erat cum Pisonē, Auli opera, qui Pisoni familiaris esset, utebantur. *QVAE bene nossem de auro* quantum scilicet pendi solet ab ijs, qui argentarijs permutatione aurum lumunt, non enim hoc dicit, ut ostendat aurum se nosse, cum supra dixerit, Ego nihil noui: & infra, Ego ista non noui, referens ad aureae pecuniae cognitionem: sed ideo dicit, ut collybi rationem sibi notam esse ostendat. *DEMONSTRAREM* per Aulum interpretem. *TIBI enim* &c. ratio, cur ad Aulum scripserit. Videbam, inquit, idem quod tu, & hanc rem nimium prorogari, & mea referre, ut conficeretur. *ISTVD* hanc rem, quam cum Pisonē agimus interprete Aulo. *OMNIA contrahenda* id agendum, ut omnia negotia ad exitum perducantur. *Contrahenda*, μεταπρατικός, ne longius abeat. Te quidem, &c. quoniam dixit, Istud nimium diu duci, ideo haec subscribit, ut ostendat, Attici id negligentia non fieri. *TUBVLVM* de hoc L. Tubulo in oratione pro M. Scauro his uerbis: Si mehercule iudices pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum, & audacissimum fuisse accepimus: tamen non timerem, uenenum hospiti, aut conuiuae si diceretur cenanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuisset. quem locum Peditanus explanans, Lucius, inquit, hic Tubulus praetorius fuit aetate patrum Ciceronis. is propter multa flagitia, cum de exilio accessisset, ne in carcere neceretur, uenenum bibit. Haec autem de Tubulo, & de Scaeuola Cicero quaerebat ab Attico, ut ad libros de finibus uteretur, quos tunc in manibus habebat. nam libro II, ubi differentiam ostendere uult inter improbum, & callidum improbum; exempla ponens, de L. Tubulo ita meminit, ut de improbo; de Q. Pompeio, ut de callido improbo. An tu, inquit, me de L. Tubulo putas dicere? qui cum praetor quaestionem inter sciaros exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaeuola tribunus pl. ferret ad plebem, uellent ne de ea re quaeri? quo plebiscito decreta est consuli quaestio Cn. Caepioni. (sic enim legendum est, non Scipioni) profectus in exilium Tubulus statim, nec respondere ausus: erat enim res aperta, non igitur de improbo, sed de callido improbo quaerimus, qualis Q. Pompeius in foedere Numantino inficiendo fuit. Haec Cicero: qui cum ignoraret, quo crimine Tubulus esset accusatus, quaesuit ab Attico his uerbis, Si poteris, Tubulus quo crimine, subaudi, accusatus fuerit. Atticum rescriptisse apparet. Quod praetor quaestionem exercens inter sciaros, pecunias cepisset ob rem iudicandam, itaq. Cicero, ut ostendimus, in libro 2. de finibus scripsit. *TRIBVNVS pl.* qui in tribunatu de Tubulo ad plebem tulit. *PVTO, Caepione, & Pompeio* recte putabat, ex causa, quam subscripsit. nam, cum P. Furio, Sex. Atilio cos. praetor fuerit, inter tribunatum autem & praetoram quattuor anni interfuit: Caepione & Pompeio cos. tribunum fuisse, uerisimile uidebatur. ideo dicit in libro II. de finibus, Anno proximo, cum ab Attico certior factus esset, Caepione & Pompeio cos. tribunum Scaeuolam fuisse; Caepionem autem & Pompeium post Metellum, & Maximum, id est post annum, quo Tubulus praetor fuit, consules sciret proxime fuisse. *DABIS igitur tribu natum* scribis, quibus consulibus Scaeuola tribunus pl. fuerit. Atticum rescriptisse constat, Caepione & Pompeio, ut supra ex libro II. de finibus proxime ostendimus. *TUBVLVS quo crimine* subintelligit, fuerit accusatus a Scaeuola tribuno pl. Hic erratum erat in omnibus libris, quos uidimus, & scriptis, & impressis. nā, pro Tubulus, uel Tabulis, uel Tubulis, uel Tribulis legebatur, coniectura uisum, & Tubulus, recte, ut opinor, reposuimus. *L. LIBO, ille, qui de Ser. Galba*, & L. Scribonius Libo rogationem tulit in Ser. Sulpicium Galbam, quod praetor Lusitanos contra interpositam fidem occidisset. hoc Cicero lib. de Orat. & in Bruto, & Val. 19. sed aiter is, qui epitomen facit ex lib. Liuii XXIIX. *Qui de Ser. Galba*: ad populum tulit. Hic est Galba, quem Cicero in libro de claris oratoribus artificium & uim ad animos eorum, qui audirent, delectandos aut permouendos principem ex Latinis habuisse dicit. *CENSORINO, & Manilio*, anno post urbem conditam DCIIV. *MANTO* praenomen Acilij Balbi, qui consularum cum T. Quinctio Flaminino gessit anno DCIIII. post v. c. *In Bruti epitoma Fannianorum scripsi*: locutio, qualis illa ad Trebatium: In Equo Troiano scis esse in extremo. In Bruti igitur epitoma erat in extremo, Fannium, qui scripsit historiam, generum esse Laelij. id Cicero ita scripsit, Brutum auctorem secutus, cum etiam de Q. Hortensio idem accepisset. *In Bruti epitoma*: ante has dictiones in omnibus libris uerba erant Haec, Epitome Bruti Fanniana: quas, ut otiosas, & eorum, quae sequebantur, glossema, sustulimus. *Fannianorum*: quam confecit Brutus annalium Fannianorum, id est, historiae a Fannio conscriptae. Sic etiam illud accipio, quod est in libro sequenti ep. 8. Epitomen Bruti Coelianorum uelim mihi mittas: quam Brutus confecit historiae a L. Coelio Antipatro conscriptae. *HVN C Fannium* C. Fannium, Marci filium. *Hunē*: cuius historiam habemus. *SCRIPSERAM* in libro de claris oratoribus. *LAELII* hic est, qui cum Scipione Africano inter paria amicorum celebratur: cuius nomine librum de Amicitia Cicero inscripsit. *γεμετρικός* argumentis & rationibus apertissimis, quemadmodum geometrae solent. *BRVTVS, & Fannius* epitome Bruti, & ipsius Fannij historia. *BONO auctore Hortensio*, hic est Q. Hortensius orator, aetate sua post Ciceronem in eloquentia princeps, augur Cicero in collegiū cooptrauit, & inaugurauit: consul fuit cū Q. Metello Celere: obiit L. Aemilio Paulo, C. Claudio Marcello cos. cum Cicero ex Cilicia decederet, ut scribit ipse in prooemio Aemilio Paulo, C. Claudio Marcello cos. cum Cicero ex Cilicia decederet, ut scribit ipse in prooemio libri de claris oratoribus, quo in libro multa de eodē Hortensio, itemq. in fine libri III. de oratore. *Bono auctore*:

auctore: } historiae perito, ut ei fides habenda uideretur, alibi etiam, in hoc genere Ciceronem Hortensij memoria, cum uiueret, usum esse, apparet, ut epist. 3. 1. Videor audisse ex Hortensio, Tudritanum in decem Mummij legatis fuisse. & ep. 3. 3. *EXPEDIES* } Fannius, qui scripsit historiam, gener Laelij fuerit, necne. *DOLABELLAE* } ex Africano bello reuertenti. *ERGO* & *in integro omnia*, } hic principium puto esse oportere alterius epistolae. Ergo, inquit, omnia mihi in integro sunt apud Caesarem: animus illius erga me nihil est immutatus, quamquam Kalendis Romae non affuerim, cum senatus habitus esset. Cupiebat autem Caesar quam maxime, ut in senatum uenirent, qui ante ciuile bellum optimates numerati fuerant, ut scilicet aliqua resp. uideretur esse, quae re uera nulla erat. quo cum Cicero non uenisset, quaesuit ab Attico per litteras, quo animo Caesar id ferret. Atticus rescripsit. In integro sunt omnia. *MIHI etsi Kalendae uitandae fuerunt* } sensus est: Romam uenire non debui, & quia Kalendae mihi uitandae fuerunt, ne in senatu adessem, & ut primas optimatum reprehensiones effugerem. Verebatur, inquit, Cicero, ne, si Caesare ex Africa reuerso statim uenisset, & in senatu affuisset, boni eum in sermonibus intemperarent, quod, libertatis olim defensor acerrimus, tunc in senatum, qui haberetur a tyranno, uenire non recusaret. Incessionum autem *ἀπεχθήματα* dixit, id est, origo, & prima causa uituperationem: nam ante nihil commiserat, quo reprehendi ab optimatibus posset. Et, Incessionum, proprie: nam in cessere, Festus exponit; iactu uel uerbis petere, transfertur & ad alias res: Iraque dixit Plautus: Incessere herum dolis; Sallustius, Incessit ambos inopia; Liuius, Incessit patres timor. Idem proprie, Incessere hostes iaculis. Cum autem locus hic Ciceronis ante esset corruptus, & in antiquo libro Caualcantis legeretur, Nicasionum; in eo, quem Vbaldinus habet, Meassionum; corrigere ausi sumus, & Incessionum, scripsimus, una tantum littera, si quis accurate confert, immutata. sententia quidem ita commoda est, ut aptius nihil esse possit, *Kalendae*: Sext. nam Caesarem ex Africa reuertentem uenisse Romam VI. Kal. Sextilis, l. 5. in extremo Hirtius refert, ut Kalendas, quibus primum senatum habuit, quas Cicero dicit sibi uitandas fuisse, Sextilis mensis intelligi uerisimile sit. Kalendis autem ut senatus haberetur, uidetur in consuetudine positum fuisse, quod indicat etiam locus ille ep. 26. Circiter Kalendas affuturus uidetur, uellem, tardius. Et illud ep. 4. 6. l. 13. Rogat magnopere, ut sim Kalendis in senatu. Item ep. 6. lib. 1. 6. Maxime dolebat me Kalendis Sextilibus in senatu non fuisse. & ep. 2. 1. 14. alibi quod non apud ipsum modo, sed & apud alios. *CONFICIENDAEQUE tabulae* } tertia causa, cur Romam uenire non debuerit. *conficiendae*, inquit, mihi erant tabulae; rursus, uidelicet: nam in urbe propter occupationes non potuisset. His de causis, inquit, Romam uenire non debui: sed debui tamen, ut te uiderem: nihil enim tanti est, ut a te absum. Et dixit, *Ut a te abessem*, pro, ut abesse deberem. Hunc locum & mendosum, & perdifficilem correctione, & interpretatione, nisi fallor, ita illustraui, ut ijs, qui haec nostra legerint, obscurus iam esse non possit. Unum mihi uideor praetermississe, Conficere tabulas quid sit: quod Pedianus declarat his uerbis: *Moris fuit, unumquemque domesticam rationem sibi totius uitae suae per dies singulos scribere*; in quo appareret, quid quisque de redditibus suis, quid de arte, senore, lucroae te posuisset quoque die, & quid item sumptus, damniue fecisset. Haec Pedianus, eadem fere Cicero ipse in Verrem libro III. & Suetonius in Iulio, qui eum scribit seruitia politiora comparasse immenso praetio, & cuius etiam ipsum pueret sic, ut rationibus uetaret inferri.

Cicero S. D. Attico.

6.

DE Coelio, uide, quaeso, ne quae lacuna sit in auro. *nem* *ὀφθαλμὸν* tam ualde admiratum esse gaudeo. *est* tua quidem sunt eiusmodi omnia. scire enim uis, quo uno animus alitur, sed, quaeso, quid ex ista acuta, & graui, refertur ad te? sed longa oratio est, & tu occupatus in meo fortasse aliquo negotio: & pro isto affo sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum *ὀφθαλμὸν* unumquemque, repetemus, sed ad prima redeo. *librum*, si me amas, mitte. tuus est enim profecto, quoniam quidem est missus ad te. *Vale.*

EXPLANATIO

NE quae lacuna sit in auro } ne uitium sit in auro, quod a Coelio argentario, pecunia permutanda meo nomine, accepturus est. Lacuna dicitur esse in auro, cum in numero, qui aureus uidetur, aliquid est, quod aurum, non sit, quali enim lacuna est in eo loco, ubi aurum non est: translatione sumpta a fundis, quos lacunae deteriores faciunt. In *collybo* } in ipsa permutatione, nam argentarijs datur aliquid, cum pecunia permutatur. Collybum autem Pollux explanat, pecuniae permutationem.

Hyc

Hic aurum fecerit si praeter detrimentum, quod in collybo patimur, etiam non bonam aurum habebimus ab argentario. *HABES Hegesiae genus quod Varro laudat* & Hegesiae duo fuerunt, Cyrenaicus, & Magnesianus, hic orator, ille philosophus. de philosopho, in primo libro Tusculanarum quaestionum, & Laetius in Aristippo: de oratore, Stabo libro XI v. ipse in eo libro, quem inscripsit, Orator, quo in libro, natus ab hoc uitium illud, scribit, in quod incidunt ij, qui numeros in oratione frequentius infringunt, atque concidunt, cuius generis sunt Varronis scripta, utpote qui Hegesiam sequeretur, Quod Cicero de numeris Hegesiae tradit, idem fere Dionysius Halicarnassensis in Arte. *HABES Hegesiae genus: Hegesiae librum Cicero ad Atticum miserat, uides, inquit, Hegesiae scripta cuius generis sint.* Quod Varro laudat: sine causa, scilicet: nam uidetur hoc significare: Nunc Hegesiae librum legens, intelligis, quam recte eum Varro laudat. *VERVM hoc fuit, sine me?* & subaudi, te legere Tyrannionis librum. & dixit, Verum, pro aequum, quo modo, & in ep. I. libri II. *LVS* & correxeris, nam Luere hoc in loco id fere ualet, ut illud l. 5. de finibus: Lucretia stuprum per uim oblatum uoluntaria morte luit. *TV* admiratio scripserat enim Atticus, se Tyrannionis librum cum admiratione legisse. *AMO* enim *πάρτα* & *ἀδύνατος*: & ratio, cur Attici admiratione delectatus sit amo enim, inquit, quicumque popularium suorum studiosus est, popularis autem erat Attici Tyrannio, non quod uterque Atheniensis esset, (nam neque Atticus, ut Cornelius Nepos in ipsius uita scribit, ciuem se Atheniensem fieri passus est, cum Athenienses uellent, & Tyrannio erat Amisenus, ut Suidas tradit) sed quod uterque Athenis uixerat, eadem ratione in ep. 10. libri I. Solonem Attici popularem appellat: & infert, eundem Solonem se putare popularem suum fore: non quod in Atheniensem ciuitatem Cicero adscribi uellet, sed quia, ciuili bello inter Caesarem, & Pompeium exorto, ne alterutrius partis esset, migrare Athenas, ibiq; habitare cogitaret. Alibi Popularis ualet eiusdem ciuitatis, ut lib. II. Academicarum quaestionum: Thales hoc Anaximandro, populari, & sodali suo, non persuasit, uterque enim Milesius, auctore Laetio. *TENVEM* *θεοπία* & Tyrannionis considerationem in re tenui, quam tu, eius librum legens, admiratus es. *REFERTYR* ad *τέλος* & quid affert ad summam rerum acuta ista, ut scribis, & grauis *θεοπία*: quasi dicat: ut acuta, & grauis sit, quemadmodum tu scribis, Tyrannionis ista *θεοπία*, tamen in re ueratur minime necessaria, quamquam. n. Cicero librum non legisset, *ὅτι δὲ θεοπία* tamen & argumentum non ignorabat. *ET* pro isto *asso* Sole & rectius, At, quam Et, meo iudicio, respondet ad alteram partem epistolae ab Attico acceptae. *ASSO* Sole: scripserat Atticus, se, cum domum Ciceronis, quae erat in Palatio, uenisset, in Sole per praeulum, quod domui adiacebat, satis superq; inambulasse. Respondet Cicero per iocum: Domi meae dum fuisti, praeter siccu sole nihil habuisti: at ego a te nitidum unctumq; Solem repetam: id est, cum ad te domum ueniam, non Sole tantum contentus ero, non mihi idem, quod tibi, satis erit, in Sole inambulare; sed cenam etiam cum sole exigam. Solem assum uocat, quem cena non sequatur, quasi sine succo, ut obsonia sunt assa: nitidum autem, & unctum, qui cum cena sit. *MISSVS* ad te & cum tui nominis inscriptione, quemadmodum & Cicero Oratorem ad M. Brutum misit.

Cicero S. D. Attico 7.

TANTVM ne ab re tua est otij tibi, ut etiam Oratorem legas? *maeste* uirtute mihi quidem gratum: & erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. Caesar autem mihi irridere uisus est *QUAESO* illud tuum, quod erat *ἀπὸ τῆς*, & urbanum: ita porro te sine cura esse insit, ut mihi quidem dubitationem omnem tollet. Atticam doleo tam diu: sed, quoniam iam sine horrore est, spero esse. ut uolumus. Vale.

EXPLANATIO

TANTVM ne est ab re tua otij tibi, & hoc totum e Terentij Heauton timorumenosumpsit. nam in prima scena primi actus sic loquitur Menedemus: Chreme, tantum ne est ab re tua otij tibi, aliena ut cures, eaque, nihil quae ad te attinent? *ORATOREM* & librum, quem de perfecto oratore ad M. Brutum Cicero misit: cuius inscriptio est, Orator: itaque etiam in epistola ad Leporam, Oratorem, inquit, meum tantopere a te probari, uehementer gaudeo. *MAESTE* & uox, qua recte facientes laudamus simul, & hortamur: ut exempla declarant, ueteres ea & absolute, & cum nominibus usi sunt, unde illud in extrema epistola lib. I. 5. Seruulos dicere aiebant, agripetas eiectos a Buthrotijs. *maeste*. Tusculanarum autem quaestionum libro I. Maeste uirtute, ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim. & Virgilius, Maeste puer uirtute noua, sic itur ad astra. Plautus autem in Milite, Maeste, dixit pro ualde. *GRATVM* & quod Oratorem meum legas. *NON* modo in libris tuis, sed etiam in aliorum & nam orator describebatur a pluribus, eiusq; exempla erant non modo apud Atticum, sed etiam apud alios. *ARISTOPHANEM* reposueris pro Eupoli & perspicuum est, in Oratore subintelligi, in quo haec de Pericle: Si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graecia dictus esset. Aristophanis autem graeca uerba Plinius

N n in

in ep. quadam recitat, si ep. rai ipe para, & vno xatny exada. quod Cicero cum Eupoli primum tribuisset, postea, correxit, Aristophane reposito. QVAESO illud tuum? Atticus Caesarem de re Buthrotia cum rogaret, Quaesio, saepius iterabat. quod verbum Caesar quodam modo irridens: Attico se facturum omnia promissit: Buthrotiosque, quorum agrum, ut diuideretur, proscripserat, decreto postea liberauit, hac de re in sequentibus libris, sed planissime in decimo sexto, in extremo, TAMEN & febris laborare supra, de Atticae febricula, scilicet male de dolui, ep. 1. & infra ep. 13. & 17.

Cicero S. D. Attico, 8.

QVAE desideras, omnia scripsi in codicillis, eosque tibi dedi, breuiter, sed etiam plura quam quae-ritis: in ijs de Cicerone cuius quidem cogitat ionis initium tu mihi attulisti. locutus sum cum eo liberalissime: quod ex ipso, uelim, si modo tibi erit commodum, sciscitare, sed quid differo? exposui, te ex me detulisse, ecquid uellet, ecquid requireret, uelle Hispaniam, reuere liberalitatem, de liberalitate, dixi, quantum Publus, quantum flamen Lentulus filio, de Hispania, duos attuli, primum idem, quod tibi, me uerere uisuperationem: non satis esse, si haec arma reliquissimus: etiam con-

EXPLANATIO

QVAE desideras } ut ad te scribam, CODICILLIS } Codicillis & Litteras multi, ut uideo, indifferenter accipiunt, ego aliter sentio. nam codicilli tabellae ceratae erant, in quibus aliquid stylo aut breuiter, aut festinanter utebantur, cum scribere in codicillis possent uel in cena, uel in curia, uel in uia, uel ubicumque libuisset; charta autem non item, in qua scribere sine atramento & calamo non poterant, neque umquam in codicillis quidquam esse scriptum reperiretur, nisi cum aut breuiter, aut raptim scribendum esset, quare litterae erant, quae in charta scriptae fuerant: codicilli, tabulae ceratae, in quibus aliquid uel breuitatis, uel festinationis, causa exarabatur. EROTI } hic Ciceronis res domesticae administrabat. ep. 2. l. 13. IN IJS } non in codicillis, sed in ijs, quae, non rogatus a te, scripti refertur. n. ad proximum illud, Sed etiam plura, quam quae ris. COGITATIONIS } nam, te monente, cogitare coepi, quam uitam Cicero meus, quoniam quidem adulescens iam esset, ordiri deberet. QVAD DIFFERO? } quid ego hanc moram interpono, ut ex eo scisciteris? ipse tibi nunc narrabo. Deinde narrare incipit. Exposui, te de mandato meo ei detulisse, ecquid uellet, ecquid requireret, uelle (subaudi, Quinctum filium haec respondisse.) Hispaniam, requirere liberalitatem: id est, uelle Caesarem in Hispaniam sequi contra Pompeij filios: requirere, ut ego ei pecuniam liberalius suppeditem. FLAMEN Lentulus } filius eius Lentuli, quem cum uniuerso pontificum collegio Ciceronis domum, a P. Clodio, consecratam, religione liberasse, legimus in oratione de haruspicio responsis: qui & ep. 24. l. 2. & ep. 6. l. 4. & a Pediano in oratione pro Scauro, & in oratione in Varronium nominatur. Sensus est. De liberalitate dixi me daturum, quantum filio suo Publus, quantum suo Lentulus daret. QVOD tibi, } quod tibi attuli, cum ad me retulisses, filium in Hispaniam ire uelle. HAEC ARMA RELIQUISSIMUS? } Pompeiana. CONTRARIA } subintellige, sequi & Contraria, id est Caesaris. FRATRE } Quincto Cicerone filio, qui familiarior & gratiosior esset apud Caesarem, ut pote qui Lupercus in gratiam illius fuisset, nam Marcus filius nullo adhuc beneficio Caesaris gratiam quaesierat, ac ne satis quidem illi notus per actate esse potuerat. Quinctum autem filium cum Caesare in Hispania fuisse, infra ostenditur ep. 37. ubi etiam Cicero Impurum cognatum appellat. VEL IMAGIS, &c. }uolo, ut potius pecuniam a me, quam tantam uult, sumat, quia in Hispaniam erat, & dicit, Sua libertate, quia, si M. Cicero in Hispaniam iussit, cum id patri sciret non placere, nimirum liberius agere uisus esset. PERMITSIT } ut in Hispania iret, si omnino ita constitisset. MAXIMAE res } permittere filio, ut in Hispaniam eam contra Pompeij liberos. SIMPLEX } ut manere. MANERE } ut manere, ut contra eos pro Caesare dimicaret. DE Balbo &c. } sic accipio. Dolabella, cum Tulliolam dimisisset, Cicero non dote debebat, eam tamen non numerabat, fretus gratia Caesaris, cuius partes in ciuili contentione secutus erant. cogitabat igitur Cicero hac de re loqui cum Balbo Caesaris amiciissimo, nam & infra, De dote, inquit, tanto magis perurga. Balbi regia conditio est delegandi. Ego tamen triduum } hic manebbo. Et dicit, Tamen, uenuste posita pro Certe: quia desiderium rusticandi declaratur, ut hoc dicat: Cum primum Balbus redierit, Romam me conferam: sin ille tardius, ego, quod optasti, tamen allequar, ut hic triduum

duum etiam manere possim. Non licet autem quarundam dictionum occultam uim *γεωμετρικῶς* ostendere: sed ingenio paullo acutiore qui sunt, facile, quod significabimus, intelligent: ceteris satisfacere neque temper possumus, etiam si uelimus; neque, si possumus, semper uelle debemus. *DOLABELLA* etiam *mecum* mansit. Tantum, inquit, abest, ut se a me abalienatum ostenderit, ut etiam hic *mecum* manserit. Verebatur autem Cicero, ne Dolabella, qui Tulliolam repudiasset, sibi quoque esset infensor. unde illud in epistola ad Voluminium: Dolabellam, quem ego percipio & iudico cupidissimum esse, atque amantissimum mei, cohortare, & confirma, & redde plane meum. Nondum autem, cum hanc epistolam, & cetera illa ad Voluminium Cicero scripsit, Tulliola perierat.

Cicero S. D. Attico.

9.

DE Cicerone, multis res placet. comes est idoneus. *sed de prima pensione ante uideamus, adest enim dies, & ille currit. Scribe, quaeso, quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis, utrum ipse in fenic-* *larium, an in campum Martium cogitet, & sane scire uelim, numquid necesse sit comitijs esse Romae. nam et Piliae satisfaciendum est, & utique Atticae. Vale.*

EXPLANATIO

MULTIS res placet. 3 apparet, inter hanc epistolam & superiorem multas desiderari, nam superior ante coeptum Hispaniense bellum, haec autem post confectum scripta est, cum Caesar uictor ex eo bello reuertens, ad urbem iam appropinquaret. Ac ne hoc quidem obscurum est, quaedam ex sequentibus huic esse praeponeudas; ut earum argumenta considerantibus patebit. *RES placet:* 3 non ut in Hispaniam ad bellum; quod, ut dixi, confectum iam erat; sed ut Athenas litterarum causa proficiscatur. hoc enim Cicero significat, misitque paullo post filium Athenas cum L. Montano. *COMES est idoneus:* 3 Montanus, subintellige: quem cum filio Athenas mittere constituerat: de quo his uerbis epist. 51. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. & epist. 16. & 17. l. XIV. *ANTE uideamus:* 3 ante quam Ciceronem Athenas mittamus, uidentum est quo modo prima pensio Caesari soluatur. dies enim, quo primae pensionis solutionem promissimus, adest. *ET ille currit:* 3 id est, & Caesar cum celeritate reuertit: (reuerterebar autem ex Hispaniensi bello) itaque de solutione cogitandum. Hanc autem pecuniam iam ante ciuile bellum Cicero debuerat: quod ipse declarat in extrema tertia epistola libri VII. neque Caesar illius nominis exactioni, maioribus curis impeditus, opera dare potuerat. sed, deuicto Pompeio, cum Romam reuertisset, Ciceroni concessit, ut aliquot pensionibus solueret, quo comodus scilicet posset soluere. Cum igitur filio Athenas eunti pecuniam Cicero dare uellet, prius, inquit, de prima pensione soluenda cogitemus. *QUID referat Celer egisse Caesarem cum candidatis,* 3 Celer hic non est Q. Metellus Celer, qui cum L. Afranio consul fuit: nam is Marcellino, & Philippo cons. perierat: sed alius, cuius nomen minus illustre fuit. *CAESAREM:* 3 ex Hispania, Pompeianis tertio bello uictis, reuertentem. *CANDIDATIS:* 3 qui obuiam ierant, ut ab eo magistratus peterent. *UTRUM ipse in fenicularium, an in campum Martium cogitet.* 3 utrum Celer uelit & ipse magistratum petere. nam magistratus in campo Martio petebantur. Et quoniam populus, qui honores dare solitus esset, potestatem eiusmodi nullam habebat, Caesare ex ipsius libidine cuncta administrante; ideo cum irrisione & contemptu fenicularium campum appellat. quod Martius ille campus, in quo populus potestatem habuerat, nullus iam esse uidebatur. *NUMQUID necesse sit* 3 ut scilicet ea, quae Caesar aget, uideat probare, cum inter sim. nam omnino, inquit, uenturus sum, ut Piliae roganti satisfaciam: sed numquid maturandum sit comiti orum causa, scribas ad me uelim.

Cicero S. D. Attico.

10.

NA ego essem hic libenter, atque id quotidie magis, nisi esset ea causa, quam tibi superioribus litteris scripsi. nihil hac solitudine inuidius, nisi paululum interpellasset *Amynae filius, οὐκ παρατολογία* & somnus urgebat. Vale.

EXPLANATIO

Hic 3. in Antiat. Ni esset ea causa, quam tibi superioribus litteris scripsi 3. quae haec est causa, cur Cicero minus libenter rusticaretur? nimirum haec, quod sine Attico esse non poterat. nam hoc est in ijs litteris, quas ipse dicit proxime se misisse; quae tamen ordine confuso infra legatur, hoc initio, Te tuis negotijs &c. cum enim in illis litteris de Philippi aduentu, in his autem de interpellatione scribat; dubium non est, quin illas Cicero superiores appelleret: cum uerisimile sit, prius eas fuisse scriptas, quibus aduentus significatur, quam has, quibus interpellatio. *AMYNTAE filius 3. Philippus.* cuius interpellationem superioribus in litteris scribit se timere. superiores appello, quae infra sunt, hoc principio, Te tuis negotijs. quas ij, qui descripterunt, per negligentiam, aut certe per insciam alieno loco posuerunt, de suo deiecerunt. Sed quaeritur, cum in ijs litteris aperte Philippum nominet, cur hic circutione uti uoluerit, ut potius, Amyntae filius, diceret, quam Philippus. Respondeo: Ciceronem, cum de Philippi loquacitate uellet scribere, uerentem, ne id emanaret, si forte in alienas manus eae litterae deuenissent, duobus modis rem obscurasse; primum, cum, Amyntae filius, dixit, Philippum designans; (nam Amyntae filius fuerat Philippus Alexandri Magni pater) deinde, cum loquacitatem Graecis uerbis ostendit, *ὁ ἀπεραυτολογίμν δούε* id est, infinitam loquacitatem dans, uel, qui solet esse loquacissimus. offendere autem Cicero L. Marcium Philippum sine malo non potuisset, quod Philippus apud Caesarem affinitatis coniunctione multum poterat. Atiam enim, Caesaris sororis filiam, Octauij, qui Augustus postea cognominatus est, matrem, in matrimonium duxerat. Appianus lib. I. I. Plutarchus in Cicerone, Suetonius. *CETERA 3. praeter solitudinem: de cuius incunditate iam dixit. Quod sequitur, cor rigo sic, & interpungo, coniecturam secutus; Noli putare amabiliora fieri posse, uilla, litore, prospectu maris. His rebus omnibus 3. quas hic habemus, cum enim ea persequi longum esset, quibus in Antiat. delectaretur, tribus uerbis, His rebus omnibus, complexus est. NEC erat, quod scriberem, 3. praeter haec, quae digna longioribus litteris non sunt.*

Cicero S. D. Attico II.

MALE mehercule de Athamante, tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. consolationum autem multae uiae, sed illa relictissima. impetret ratio, quod dies impetratura est. *Alexim uero curemus, imaginem Tironis, quem aegrum Roman remisi: & si quid habet collis ἐπίδ' μου, ad me cum testamento transferamus. tota domus superuacuat, ut scis, hoc puto ualde ad rem pertinere. Vale.*

EXPLANATIO

DE Athamante. 3. Attici seruo, qui perierat. *ALEXIM uero curemus, 3. aegrotantem.* Et hic Attici seruus erat, a manu, ut legitur epist. 2. lib. 7. *Si quid habet collis ἐπίδ' μου, ad me cum testamento transferamus 3. collis Quirinalis, in quo tua domus est, si quid habet ἐπίδ' μου, id est, si caelo utitur inclementiore, ut in eo morbi grassentur, epidemici; (hoc enim timendum erat, cum eodem tempore & Athamas perisset, & Alexis aegrotaret) transferamus Alexim domum meam in Palatium. Cum testamento: hic sine dubio mendum est, & fortasse legendum, Cum Thallumeto, Alexis aegrotantis cultode, aut, ipso quoque aegrotante. Thallumetus autem Attici seruus & ipse erat, quod indicat illud epist. 1. 5. Meos cum Thallumeto nostro peruolutas libros.*

Cicero S. D. Attico. 12.

MALE de Scio, sed omnia humana tolerabilia ducenda, ipsi enim quid sumus? aut quam diu haec curaturi sumus? ea uideamus, quae ad nos magis pertinent, nec tamen multo, quid agamus de senatu. Et, ut ne quid praetermittam, Caesonius ad me litteras misit, Postumiam Sulpicij domum ad se uenisse. De Pompeij Magni filia, tibi rescripti, nihil me hoc tempore cogitare. alteram uero illam, quam tu scribis, puto nulli. nihil enim uidi foedius, sed adsum: coram igitur. Obsignata epistola, accepi tuas. Atticae hilaritatem libenter audio: commotiunculis συμπαχῶς. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVAE ad nos magis pertinent, & nam illa, quae humanitus accidunt, quoniam uitari nulla ratione possunt, non uidentur esse curanda. quid autem agamus de senatu, id est, quod consilium capiamus de dicenda in senatu sententia, (nam Romam iturus erat, ut extrema epistolae pars ostendit) hoc uero curandum est, nam, si ad Caesaris uoluntatem loquemur, boni uituperabunt; si ex utilitate reip. Caesar offendetur. *Nec tamen multo* & ut enim diligenter consideremus, quid agamus de senatu; nihil tamen proficimus: siquidem omnino resp. iacebit, quod cum ita sit, hoc ipsum de dicenda in senatu sententia non multo magis ad nos pertinet, quam communis omnium interitus, quem certum & immutabilem scimus esse, ut de eo cogitare non debeamus. nam, illud, Quae ad nos magis pertinent, ualet hoc, quae magis curanda nobis sunt, aut de quibus magis cogitare debemus. *POSTUMIAM Sulpicii* & subintelligit, uxorem, nam ueteres sic loquebantur, ut diceret, Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicii, Mucia Pompeij, & huiusmodi, Vxor subaudientes. Postumiam autem Ser. Sulpicii, iurisconsultorum peritissimi, coniugem fuisse, patet ex lib. 1 v. epistolarum ad Sulpicium. *DOMVM ad se uenisse* & hoc tempore, cum Terentiam iam dimisisset, de ducenda uxore Cicero cogitabat. huius rei causa Postumia uenerat; ut cum Caesonio loqueretur. Eodem spectant ea, quae sequuntur. Duxit autem postea Publilia quamdam: quam & ipsam deinde, quod Tulliolae morte lactari uideretur, dimisit, autor Plutarchus in Cicero. *COMMOTIUNCVLIS συμπαράχω* & Commotiunculis idem significauit, quod in epistola 15. libri x. cum dixit, a nouis tentationibus ualetudinem confirmatam. nam, tentationes & commotiunculae non morbi sunt, sed morborum initia. Commotiunculis autem Atticae; quae non plane in morbum, sed in febriculam inciderat, supra, epist. 25. lib. xi. συμπαράχω: aequae afficior, atque illa. unde illud epist. 15. lib. 4. Valde gratum, si Eutyichides cognosceret, suam illam in eo dolore συμπαράχω mihi non obscuram fuisse.

Cicero S. D. Attico. 13.

DE dote, tanto magis perpurga. Balbi regia condicio est delegandi. quoquo modo confice. turpe est rem imeditam iacere. Insula Arpinas habere potest germanum ἀποθίωσι. habere uideatur: ἐξυόσμος est: igitur animus in hortis: quod tamen inspiciam, cum uenero. De Epicuro, ut uoles; εἴσι μεδύ μοῦλο μῶα in posterum genus hoc personarum. incredibile est, quam ea quidam requirant. ad antiquos igitur: ἀνεύθεντο γὰρ. nihil habeo, ad te quod perscribam: sed tamen institui quotidie mittere, ut eliciam tuas litteras; non quo aliquid ex his expectem; sed nescio quo modo tamen expecto. quare siue habes quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid, teq. cura. *Commouet me Attica.* etsi asensor Cratero. Bruti litterae, scriptae & prudenter, & amice, multas mihi tamen lacrymas attulerunt. Me haec solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. te u- num desidero: sed litteris non difficilius utor, quam si domi essem. ardor tamen ille urget, & manet, non me hercule indulgente me, sed tamē non repugnante. Quod scribis de Appuleio, nihil puto opus esse tua contentione, nec Balbo, & Oppio; quibus quidem ille receperat, mihiq. etiam iusserat nunciari, se molestum omnino non futurum. sed cura, ut excuser morbi causa in dies singulos. Laenas hoc receperat. prende C. Septimium, L. Statilium. denique nemo negabit se iuraturum, quem rogaris. quod si erit durius, ueniam, & ipse perpetuum morbum iurabo. cum enim mihi carendum sit conuiuijs, malo id lege uideri facere, quam dolore. Cocceium uelim appelles: quod enim dixerat, non facit. ego autem uolo aliquod emere latibulum, per fugiū doloris mei. Vale.

EXPLANATIO

DE dote, & quam nobis Dolabellam reddere oportet, cum Tulliolam, filiam nostram, dimiserit. *TANTO magis perpurga* & quo difficilius est, tanto magis perpurga. nam sequitur, Turpe est rem imeditam iacere. *Perpurga*: explica, confice. Hac de re epist. 18. 20. 22. lib. 14. & 14. lib. 15. & 14. lib. 16. *BALBI &c.* & perpurga, inquit, de dote. facile potes, quoniam Balbus, amicitissimus tuus, omnia uideatur posse; ut quasi rex sit, qui potestatem habeat delegandi. Nam, cum Balbus, cui Caesar ciuitatis & reip. curam crediderat, non omnia ipse administraret, sed illius dignitatis atque oneris partem transferret in quos uellet, (hoc significat Delegare.) nimirum haec regia condicio uidebatur. in oratione pro domo: Delegaui amico locupletiori. Coelius epist. 1. lib. 8. Ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegaui. Et Cicero alibi. *INSULA Arpinas* & insulam hanc in Arpinati Fibrenus amnis efficit, de qua lib. 1 i. de legibus, his uerbis: Sed uentum in insulam est, hac uero nihil est amoenius. etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & diuisus aequaliter in duas partes latera haec aluit, rapideq. dilapsus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae loci. quo effecto praecipit in Lirem; & quasi in familiam patriciam uenerit, amittit nomen obscurius.

HABERE

HABERE potest germanam ἀποθέσειν ἢ potest uideri locus ad consecrandam Tulliolam aptissimus: sed quia ἐγκόμιος est, id est infrequens, (Cicero autem celebri loco extruere fanum mortuae filiae uolebat) hortos malo: in quibus non ea solitudo, quae in insula. Horti autem erant circa Romam plurimi: sed Transiberini propter fluminis uicinitatē celebriores: itaque hoc maxime uoluisset Cicero: unde illud ep. 19. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil uideo, quod tam celebre esse possit. epist. 22. Germanam: ueram, ut alibi. HABERE uideatur ἢ uideatur, inquit, habere germanam ἀποθέσειν: esto: ita uideatur: ego celebritatem loci quaero. De Epicuro, ut uoles. ἢ pro Epicuro loquentes inducam quos uoles, in libris scilicet de Finibus: quos, ut supra diximus, hoc tempore scribebat. induxit autē L. Torquatium, qui Epicuri sectam sequebatur, Attici amicissimum. Et si μεθαυτοῦ ἔγραυε ἢ Graeci uerbi uim Latino uerbo non licet exprimere: sed sententiam tamen ostendemus. De Epicuro, inquit, ut uoles. etsi posthac non eos, qui uiuunt, (nam hoc inuidiosum est; cum omnibus satisfacere non possim, qui meos in libris induci uellent) sed antiquos, id est eos qui perierunt, inducam loquentes: quod inuidiosum non erit. fecerat autem hoc in libris de Oratore, in Catone, & Laelio. μεθαυτοῦ ἔγραυε: commuto, ad alias personas transfero. REQUIRANT ἢ cupiant loquendi partes in meis libris. COMMOVET me Attica. ἢ quia non conualescit. sed Cratero tamen medico assentior; qui uetat nos de ea quidquam grauius timere. unde illud epist. 14. De Attica doleo: credo tamen Cratero. Piliam angustabat. De hoc medico sic Horatius sat. 3. lib. 2. Non est Cardiacus, Craterum dicisse putato, Hic aeger. Eiusdem mentio fit a Porphyrione Tyrio lib. 1. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμφυλικῶν. BRUTI litterae ἢ quibus Ciceronem in morte filiae consolatus est. infra de iisdem Bruti litteris: Prudenter, inquit, scripsit, sed nihil, quod me adiuuarent. Hic est M. Brutus, qui postea Caesarem, facta coniuratione, interfecit. ATTERVNT ἢ dolorem augentes commemoratione miseriarum mearum. unde illud epist. 9. lib. 8. Augemus dolorem retractando. NON repugnante ἢ paullo post tamen repugnare coepit: ut ipse declarat his uerbis: Repugno quoad possum, sed adhuc pares non sumus. Initio. n. uictus magnitudine doloris, succubuit: deinde, cum iam & dies & ratio ipsa adiuuaret, tentare coepit; num resistere maerori, & contra stetum pugnare posset. Haec, quae ad interpretationem minus pertinent, superuacanea fortasse uidebuntur: sed aliena non sunt. nam eo spectant, ne quis miretur, cur eadem de re non eodem modo Cicero scripserit. SE molestum omnino non futurum. ἢ ut Romam irem ad cenam auguralem: quam ipse parat, in augurum collegium cooptatus. Qui enim augures fiebant, collegis cenam dabant, ut libro x. cap. xx. Plinius indicat his uerbis. Pauonem cibi gratia primus occidit Hortensius, ad iudiciali cena sacerdotij. Ciceronem autē augurem fuisse, ex ipsius libris notissimum est. UT excuser morbi causa in dies singulos. ἢ hoc dicit, quia omnes augures honoris causa ad illam cenam ire cogebantur, praeter eos, qui morbo se iurarent impediri. IN dies singulos: apparet, nouos augures eas cenas non uno die, sed pluribus dare solitos esse. nā & infra, Apud Appuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser, uidebis. In dies igitur singulos, quibus Appuleius collegis cenam dabit. LAENAS hoc receperat ἢ notū est, Laenates ex gente Popillia fuisse, Laenas, unus ex augurum collegio. Receperat, se curaturum, ut apud Appuleium excusaret. Idem in epistola, quae proxime sequitur. PRENDE ἢ ut cum Laenate me apud Appuleium excusent. necesse. n. erat, ut augur, qui noui auguris ad cenam ire noller, tres e collegio reperiret, quorum iureiurando apud eum augurem, qui cenam dabat, excusaretur. itaque in epistola, quae sequitur, Septimium, inquit, uide, & Laenatem, & Statilium. tribus. n. opus est. IURATVRVM ἢ me non ualere, & propter morbum ad Appuleij cenas ire non posse. QVEM rogaris ἢ locus neque a sensu obscurus, neque a locutione corruptus: sed quiddam est, cur magis placeat, Quemquem rogari; cum praesertim & in epistola sequenti eadem de re eandem figuram usurpans ita scripserit: Quemcumque appellaris, nemo negabit. PERPETVVM morbum iurabo; ut excuser non in dies singulos, sed in perpetuum, id est in omnes dies, quibus cenae dabuntur. Infra, Quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser, uidebis. MALO id lege uideri facere, quam dolore ἢ ut homines, inquit, non propter dolorem amissae filiae; sed propter inuauetudinem conuiujs me carere suspicentur, perpetuum morbum iurabo. Nam, si absque iureiurando, amicorum gratia, impetraret Cicero, ut auguralibus cenis abstinere posset: incertum fuisset, utrum id morbi causa faceret, an doloris. dolorem autem celare uolebat: itaque de morbo iurando cogitabat. APPELLES: ἢ de pecunia, quam nobis debet. epist. 18. & 19. DOLORIS mei ἢ

Cicero S. D. Attico. 14.

DE me excusando apud Appuleium dederam ad te pridie litteras. nihil esse negotij arbitror. quemcumque appellaris, nemo negabit. sed Septimium uide, & Laenatem, & Statilium. tribus enim opus est. sed mihi Laenas totum receperat. Quod scribis, a Iunio te appellatum: omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire uelim, quando dicar spondisse; & pro patre, an ne pro filio: neq. eo minus, ut scribis, procuratores Cornificij, & Appuleium praedictorem uidebis. Quod me

ab hoc maerore recreari uis; facis, ut omnia: sed, me mihi non defuisse, tu testis es. nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim. sed omnem consolationem uincit dolor. quoniam etiam feci, quod profectio ante me nemo, ut ipse me per litteras consolaretur. quem librum ad te mittam, si descripserint librarij. affirmo tibi nullam consolationem esse talē. totos dies scribo; non quo proficiam quid; sed tantisper impedior, non equidem satis, (uis enim urget) sed relaxor

laxor tamen, ad omniaq. nitor, non ad animum, sed ad
 nullum ipsum, si queam, reficiendum: id q. faciens, in-
 terdum mihi peccare uideor, interdum peccaturus esse,
 nisi faciam. solitudo aliquid adiuuat; sed multo plus
 proficeret, si tua tamen interesses. quae mihi una caus-
 sa est hinc discendendi. nam, pro malis, recte habebat.
 quamquam ipsum doleo. non enim iam in me idem esse
 poteris: perierunt illa, quae amabas. De Bruti ad me

litteris scripsi ad te antea, prudenter scriptae: sed ni-
 hil, quod me adiuuarent, quod ad te scripsi, id uellem,
 ut ipse adesset: certe aliquid, quoniam me tam ualde
 amat, adiuuaret. quod si quid scies, scribas ad me. uel-
 lim, maxime autem, Pansa quando. De Attica, doleo. cre-
 do tamen Cratero. Piliam angustat. is mihi est pro
 omnibus. Vale.

EXPLANATIO

QUAEVEMQVE appellaris, & supra dixit, Prende. NEMO negabit, & omnes iurabunt me non uale-
 re. TOTVM & se esse sine alijs effecturum, ut apud Appuleium morbi causa excusarer. To-
 tum, negotium. IUNIO & Iunius Atticum appellauerat, quasi Ciceronis procuratorem, Ci-
 ceronem sibi debere dicens, quod pro Cornificio spondisset. Cicero sponsonis tempus non recorda-
 tur, & ait Cornificium posse ipsum soluere. sponzor enim id est fideiussor, appellari non poterat, si locu-
 ples reus esset, ex antiqua lege, cuius mentio fit in nouell. Const. Inst. & Cicero ipse nolle legem, & more
 uidetur, cum ait ep. 17. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius anni xxv. spondisse dicit Flavius.
 & si reus locuples est, & Appuleius praedicator liberalis, tamen uelim des operam, ut inuestiget, ex con-
 sponzoribus tabulis, sit ne ita. Huc illud spectat epist. 14. Neque enim illi litem contestabuntur quo facto
 non sum nescius, sponsores liberari. PRO patre, an ne pro filio & nam utriusque Cicero coniunctus ami-
 citia fuerat. unde illud in epistola ad Cornificium, fam. lib. xii. Quod societatem reip. conseruandae
 tibi mecum, a patre acceptam, renouas; gratum est. Nunc autem, cum nominat Cornificium, no patrem
 intelligit, sed filium. nam pater iam ante perierat. PROCVRATORES Cornificij & nam Cornificius abe-
 rat, Syriae praepositus a Caesare. cognoscitur ex Ciceronis epistolis ad ipsum, & ex historicis antiquis.
 APPVLEIVM & alius hic est ab eo, de quo supra. PRAEDIATOREM & qui praediorum & praedium iu-
 ra nouit. VIDEBIS & rogabis, procuratores, ut ipsi soluant, Appuleium, ut aliquam nobis ostendat solu-
 tionis effugiendae uiam. Hoc maerore & quem ex interitu filiae capiebat. LIBRYM & de consolatio-
 ne ad seipsum: cuius libri mentionem facit Tertullianus. IMPEDIOR & ne lacrymis, & maerore me tra-
 dam. AD omniaq. nitor & omnia tento. sed uerbum Nitor *εὐεργετώ* est, nitimur enim cum labore,
 & difficultate. QUAMQVAM ipsum doleo & cupio, inquit, tecum esse. quod ipsum tamen doleo. non. n.
 eum me, quem soles, uidebis. ILLA, quae amabas, & hilaritas, & suauitas illa nostra. QVOD me adiu-
 uarent. & quod maerorem meum, ex obitu filiae susceptum, leuarent. epist. 13. ADESSET & nam erat in
 Gallia Cisalpina, missus a Caesare, ut eam prouinciam administraret. hoc in epistola ad Torquatum, de
 Oratore, & in historicis. PANSA quando. & Roma proficiscatur, in Galliam iturus, ut Bruto succedat.
 cum enim scierimus, Pansa quando proficiscatur, ex ratione dierum scire item poterimus, quando Bru-
 tus hic futurus sit. hoc apertius infra his uerbis: Pansa si hodie, ut putabas, profectus est, posthac iam
 incipio scribere ad me, de Bruti aduentu quid expectes, id est quos ad dies. id, si scies ubi iam sit, con-
 iectura assequere. Et ep. 26. De Bruto, inquit, si quid habebis. scire enim iam puto, ubi Pansam expectet.
 si, ut consuetudo est, in prima prouincia, circiter Kalendas affuturus uidetur. De Attica & c. & Attica,
 Attici & Piliae filiam. Craterus medicus aegrotantem curabat. hoc & supra, ep. 13.

Cicero S. D. Attico 13.

APVD Appuleiam, quoniam in perpetuum non
 placet, in dies ut excuser, uidebis. in hac solitudi-
 ne careo omnium colloquio: cumq. mane me in siluam
 abstrusi densam, & asperam, non ex eo inde ante uespe-
 rum. secundum te, nihil est mihi amicus solitudine. in

hac mihi omnis sermo est cum litteris. eum tamen in-
 terpellat fletus: cui repugno, quo ad possum: sed adhuc
 pares non sumus. Bruto, ut suades, rescribam. eas lit-
 teras tras habebis. cum erit cui des, dabis. Vale.

EXPLANATIO

PRO omnibus & nam supra dixit, Prende Septimium, & Statilium. nunc, Tu, inquit, hoc oneris
 pro omnibus suscipe, ut me apud Appuleium excuses. In perpetuum non placet & non placet ti-
 bi, ut in uniuersum tempus, quo cenae dabuntur, apud Appuleium semel excusetur, sed ut in dies
 singulos. FLETVS & ex interitu Tulliolae. RESCRIBAM. & ad eas litteras, quas ex Gallia con-
 solatorias ad me misit.

Cicero

Cicero S. D. Attico. 16.

TE, tuis negotijs relicto, nolo ad me uenire. ego enim potius accedam, si diutius impedire: etsi ne deceissem quidem e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adiunaret. quod si esset aliquod leuamen, id esset in te uno: & cum primum ab aliquo poterit esse, a te erit. nunc tamē ipsum sine te esse non possum: sed nec tuae domui probatur, nec meae poteram: nec, si propius essem uspiam, tecum tamen essem. idem enim te impediret, quo minus mecum esses; quod nunc etiam impedit, mihi adhuc nihil aptius fuit hac solitudine: quam uereor ne Philippus tollat. heri enim uesperu uenerat. Me scriptio, & litterae non leniunt, sed obturbant. Vale.

EXPLANATIO

NUNC tamen ipsum ꝛ hanc figuram & supra usurpauit lib. VII. epist. 3. Nunc, inquit, ipsum non dubitabo rem tantam abijcere. & lib. IIX. ep. 9. Quid, nunc ipsum unde se recipienti, quid agenti, quid acturo? & infra epist. 39. Nunc ipsum ea lego, &c. Tuae domui ꝛ Romae scilicet. Nec meae poteram ꝛ cum eum locum adspicere non possim, ubi Tullioli perijt. IDEM ꝛ tuorum negotiorum cura. PHILIPPVS ꝛ uide quae diximus ad illud, quod supra est, epist. 10. Amyntae filius.

Cicero S. D. Attico. 17.

MARCIVS ad me scripsit, me excusatum esse apud Appuleium a Laterensi, Nasone, Laenate, Torquato, Strabone. his uelim meo nomine reddendas litteras cures, gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV. spondidisse dicit Flauius: & si reus locuples est, & Appuleius praediator liberalis, tamen uelim des operam, ut inue-
suges ex consponsorum tabulis, sit ne ita. mihi enim ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. potest tamen uideri, sed scire certum uelim: & appelles procuratores, si tibi uidetur: quamquam quid ad me uerum tamen. Pansae profectiōnem scribes, cum scies. Atticam saluere iube, & eam cura obsecro diligenter. Piliae salutem. Vale.

EXPLANATIO

LATERENSIS, Nasone, Laenate, &c. ꝛ Ciceronis in auguratu collegis. REDDENDAS cures ꝛ a te conscriptas. supra epist. 4. lib. XI. Tu uelim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse conficias. & epist. 7. lib. XI. REVS ꝛ is, pro quo spondidit. hoc enim Reus aliquando significat. LIBERALIS tamen &c. ꝛ quamquam, inquit, timidum non est, ne pro hac sponcione soluamus: siquidem & Cornificius ipse, pro quo dicor spondidisse, locuples est; & Appuleius praediator, homo minime fraudulentus, qui nobis & facile, & sine dolo sponcionum iura ostendet; in quibus est, ut, cum reus locuples sit, sponsores ne appellentur: tamen ex eorum tabulis, qui mecum pro Cornificio dicuntur spondidisse, uelim cognoscas, an sponderim. POTEST tamen uideri ꝛ cognosci, ex consponsorum tabulis. SCIRE certum uelim ꝛ num sponderim. APPELLES procuratores ꝛ uide, quid procuratores Cornificij dicant, epist. 18. & 19. QUID ad me? ꝛ doloris & desperationis significatio, maxime propter interitum filiae; qua amissa, nihil praeterea sibi curandū esse dicit. VERVM TAMEN ꝛ subaudi, appelles procuratores. locutio Ciceroni familiaris, ep. 3. lib. 4. & 3. lib. 13. & in epistola ad Tironem 24. lib. 16. fam. eodemq. modo, Attamen, uturpauit, epist. 2. 5. lib. XI. PANSAE profectiōnem ꝛ in prouinciam, nam, Bruto, ut diximus, Galliam cisalpinam administranti successor erat constitutus, ep. 14. & 17. CVRA ꝛ supra dixit de Atticae ualitudine. Cura, igitur aegrotantem.

Cicero S. D. Attico. 18.

DVM recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo. quod uelim mihi ignoscas, eiusmodi est. etenim habeo non nullos ex ijs, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod saepe tecum egi, & quod a te approbari nolo, de sano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, uelim cogites, equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluati; neque de re; statutum est enim: de loco non numquam. uelim igitur cogites, ego, quantum his temporibus tam eruditus fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum, ab omnium ingenijs scriptorum, & Graecorum, & Latinorum: quae res forsitan sit refricatur a uulnere meo, sed iam quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto: longumq. illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum uidetur habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquirescam, nam, dum illud tractabam, de quo
antea

antea scripsi ad te, quasi fouebam dolores meos: nunc omnia resipuos nec quidquam habeo tolerabilius, quam solitudinem: quam, quod eram ueritus, non obturbauit Philippus. nam, ut heri me salutauit, statim Romam profectus est. Epistolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te. curabis cum tua perferendā. eius tamen misi ad te exemplum, ut, si minus placeret, ne mitteres. Domestica quod ais ordine administrari, scribes, quae sunt ea: quaedam enim expecto. Cocceius uide ne frustretur. nā Libo quod pollicetur, ut Eros scribit, non incertum puto. de sorte mea Sulpicio confido, & Egnatio scilicet. de Appuleio, quid est, quod labores? cum sit excusatio facilis. Tibi ad me uenire, ut ostendis, uide, ne non sit facile. est enim longum iter; discedentemq. te, quod celeriter tibi erit fortasse faciendum, non sine magno dolore dimittam. sed omnia, ut uoles, ego enim, quidquid feceris, id cum recte, cum etiam mea causa factum putabo. Heri, cum ex aliorum litteris cognouissem de Antonij aduentu, admiratus sum,

nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptae, quam datae. neque ista quidem curo, sed tamē opinor propter praedes suos accurrisse. Quod scribis, Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui: primum tibi persuade, me istaec non curare, neque esse quidquam aut paruae curae, aut nouae loci: sed tamen quid simile? illa eos non adhibuit, quos existimauit quaesituros, nisi scis sent, quid esset: num id etiam mihi periculi fuit? sed tamen faciat illa, quod ego. dabo meum testamentum legendum cui uoluerit: intelliget, non potuisse honorificentius a me fieri de Nepote, quam fecerim. nam quod non aduocaui ad obsignandum: primum mihi non uenit in mentem: deinde ea re non uenit, quia nihil attinuit. tute scis, (si modo meministi) me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres: quid enim opus erat multis? equidem domesticos iusseram: tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium. inde est natum, ut ad Publium. sed necesse neutrum fuit. hoc tu tractabis, ut tibi uideatur. Vale.

EXPLANATIO

DVM recordationes fugio } dum id ago, ut interitum filiae meae ne recorder. REFUGIO a te admonens do } non admonco, inquit, te, de fano, quod erigere mortuae filiae uolo; propterea quod sine filiae recordatione id facere non possum. recordatio autem illa, quasi mortuū quodam, dolorem efficit. non scribo igitur, ut de fano illo mecum cogites, ne in filiae recordationem incidam. IGNOSCAS } quod de fano cogitem. EIVS MODI est } id, quod cogito, quasi dicat: siue reprehendi debet, siue laudari, eiusmodi est; uidelicet omnino fanum extruatur. Tale illud, opinor, apud Terentium: Huiusmodi sum. FIERI id oportere } fanum est faciendum ijs, quos amore coniunctos amissimus. NEQVE de genere } cuius generis fanum faciam. CLVAT I } placet mihi fanum ea forma, qua Cluatius descripsit. Videtur autē Cluatius hic architectus fuisse, aut certe huius generis intelligens. quod etiam infra apparet, ep. 35. DE re } fanum faciam, nec ne. DE loco nonnumquam } non dubito, cuius generis fanum faciam, non dubito, faciam, nec ne: dubito nonnumquam, ubi faciam. MONUMENTORVM } refertur ad litteras, non ad aedificia. Monumentorum autem, ab ingenijs omnium scriptorum, & Graecorum, & Latinorum, dabo, inquit, operam, quantum in me erit, ut & ab omnium ingenijs consecratur, & omni genere monumentorum. REFRICATVRA } dum, n. filiam consecrabo, illius recordatione dolor augebitur; & uulnus, ex illius interitu acceptum, quod iam sanari temporis medicina uidebatur, hac quasi refractione recrudescet. SED IAM } & c. } ut haec consecratio refricatura uulnus sit, consecrare tamen eam deliberatum est: idq. duabus de causis: primum, quod secus facere non possum; cum hoc iam in animo meo filiae manibus quasi uouerim, atque promiserim: (ex quo inquit epist. 37. Hoc mihi debere uideor, neque leuari posse, nisi sol. uero. & epist. 42. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius uoti, obstrictum puto) deinde, quod huius uulneris dolor non diuturnus est futurus; cum non diu futuri simus in uita. itaque exiguū hoc tempus, dum doloris sensus in me erit, non tanti apud nos debet esse, quanti illud aeternum, quo scilicet ex his monumentis meae in filiam pietatis memoria durabit. DVM illud tractabam, de quo antea scripsi ad te } dum librum scribebam de Consolatione: de quo epistola 14. QVASI fouebam dolores meos } metaphora sumpta a partibus dolore affectis: quas dum fouimus, puluini, aut facculis adhibitis, leuatio quaedā doloris uidetur esse. PHILIPPVS } ep. 18. EPISTOLAM, } qua consolatorijs Bruti litteris respondit. QVAEDAM enim expecto } quaedā. n. sunt, de quibus scire cupiam. Ne frustretur } ne nostrā expectationē fallat, ne faciat contra quā promisit, ne non soluatur, quod se esse soluturum dixit. ep. 19. VT Eros scribit } hic rationes Ciceronis administrabat. l. xv. Non incertum puto } non dubito, quin Libo nobis, ut pollicetur, pecuniā numeret. SULPICIO confido, & Egnatio scilicet } qui promiserūt se esse praestaturos, ut fors ne pereat, hoc est, ut uniuersa pecunia, quam Cocceius & Libo mihi debent, ne amittatur. Ut illa duo uerba, Frustratur, & Pollicetur, non ad uniuersae pecuniae solutionē, sed, ut opinor, ad usurae pensionem referantur: itemq. illud ep. 13. Cocceium uelim appelles. LABORES } de me apud Appuleium excusando, quod ad illius augurales cenas non eam. ep. 13. 14. 15. & 17. EXCVSATIO facilis } non subscribit causam, cur sit excusatio facilis: sed eadem posuit ep. 14. his uerbis: De me excusando apud Appuleiū, dederam ad te pridie litteras. nihil esse negotij arbitror. quemcumque appellatis, nemo negabit. ADVEN TV } significatur illud tempus, quo M. Antonius Roma profectus, ut in Hispaniam ad Caesarem iret, deinde, mutato consilio, reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, & noctu urbem introuit. cuius festinationis maxime causa fuit, quod, cum tempus iam adesset eius pecuniae soluendae, quam pro emptionis in auctione Cn. Pompeij bonis Caesari debebat, uerebatur, ne, ipso absente, praedes sui uenderentur.

O o tur;

tur: itaque accurrit, ut eos liberaret, unde illud secunda actione in Antonium: Ne L. Plancus praedes suos uenderet. Apparet igitur, & quid haec dictio, Aduentu, significet: & quid illud, quod proxime sequitur, Propter praedes suos accucurrisse. *NEQVE ista quidem curo*, infra idem iterat non iisdem uerbis: Te, inquit, scire uolo, me neque isto nuncio esse perturbatum, nec iam ullo perturbatum iri. & paulo post item alijs uerbis eandem rem: Nondum uideris perspicere, quam me nec Antonius commouerit, nec quidquam iam eiusmodi possit commouere. *Neque ista quidem curo*: his de rebus non laboro. Et hoc dicit, quia, cum Antonius per Italiam cucurrisset, & noctu urbem introisset; homines, subito & inopinato aduentu, tamquam re inexpectata, & noua, suspensi, non sine metu causam quaerebant: deinde, ut Cicero opinabatur, propter praedes suos eum uenisse cognitum est. Philip. 2. *QVOD scribis & c.* querebatur Terentia, se a Cicerone non esse adhibitam ad obsignandum testamentum, cum ille nescio quos adhibuisset. ep. 18. *ISTAE* & huiusmodi res, quasi dicat: maximarum rerum iacturam passus, de paruis iam non laboro, ut de obsignatione testamenti. *PARVAE curae, aut nouae* & paruae: parua, n. cura me afficere non potest, cum in maxima uerfer. Nouae; auget: nam non solum, inquit, paruae curae nihil est loci, sed omnino nouae. *QVOD simile?* & sensus est: Queritur Terentia, primum quod ad obsignandum meum testamentum ipsam non adhibuerim; deinde, quod eos adhibuerim, quos illa ad suum non adhibuerat, quid simile, inquit? illa, cum sciri noller, quid in testamento esset, ad obsignandum eos non adhibuit, quos, nisi scissent quid esset, quaesituros existimauit: idq. erat argumento, aliquid in eo Terentiam scripsisse, quod Ciceronis e re minus esset. ego autem illos ipsos adhibui; propterea quod non fuit mihi timendum, quod illa timuit, ut ij, qui ad obsignandum adessent, quid esset in testamento, quaererent. quid enim ad me, si testamenti ratio nota illis sit? quasi dicat: nihil in meo testamento scripsi, quod celatum magnopere uelim: cum illa ualde uideatur uelle celatum esse id, quod scripsit in suo; quippe quae ad obsignandum eos non adhibuit, quos existimauit quaesituros, nisi scissent, quid in esset. ex quo fit, ut ego potius queri de illa debeam, & suspicari, ne quid in testamento scripserit contra uoluntatem meam, cum in occultanda scripti sententia maiorem, quam ego, diligentia adhibuerit. *DE nepote* & locus mihi obscurus, & fortasse deprauatus. *NON aduocaui* & ipsam. *TVM* & cum testamentum obsignare uellem. *DE tuis aliquos* & miror, cur dicat, Aliquos; cum certum obsignatorum numerum lex constitueret. unde illud ex edicto Verris, l. 1 v. Si de hereditate ambigitur, & tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oporteat, ad me proferentur: secundum tabulas testamenti potissimum hereditatem dabo. *IVSSERAM* & mandaram tibi, ut de domesticis tuis aliquos adduceres ad meum testamentum obsignandum. *INDE est natum, ut ad Publium* & uult ostendere, casu esse factum, ut Silius, & Publius ad obsignandum testamentum adhibuerit. *NECESSE neutrum fuit* & quid enim ad me, utrum Silius & Publius, an alij ad obsignandum adhiberentur? Neutrum: neque ut ad Silius, neque ut ad Publium mitteretur. *HOC tu tractabis* & hoc, de testamenti obsignatoribus, tractabis, cum Terentia, ne iniquius ferat, quod eam non aduocauerim ad obsignandum.

Cicero S. D. Attico 19.

EST hic quidem locus amoenus, & in mari ipso, qui & Antio, & Circaeis adspici possit: sed in uenda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate, (si modo haec stabunt) illud, quasi consecratum, remanere possit. equidem iam nihil ego uectigalibus, & paruo contentus esse possum. cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc causam maxime: nihil enim uideo, quod tam celebre esse possit: sed quos, coram uidebimus; ita tamen, ut hac aestate fanum absolutum sit. tu tamen oim appella Chio confice de columnis. De Cocceio, & Libone quae scribis, approbo, maxime, quod de iudicatu meo responsum sit. si quid perspexeris, & tamen quid procuratores Cornificij dicant, uelim scire, ita ut in ea re te, cum tam occupatus sis, non multum operae uelim ponere. De Antonio quoque Valbus ad me cum Oppio conscripsit, idq. tibi placuisse, ne perturbaret, illis egi gratias. te tamen, ut iam ante ad te scripsi, scire uolo, me neque isto nuncio esse perturbatum; nec iam ullo perturbatum iri. *Pansa* si hodie, ut putabas, profectus est, posthac iam incipito scribere ad me, de Bruti aduentu quid expectes, id est, quos ad dies id, si scies ubi iam sit, facile coniectura assequere. Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, mi Attice, suscipe totum negotium. uides & officium agi meum quoddam, cui tu es conscius, & ut non nulli putant, Ciceronis rem. me quidem id multo magis mouet, quod mihi est & sanctius, & antiquius; praesertim cum hoc alterum neque sincerum, neque firmum putem fore. Vale.

EXPLANATIO

HIC & Astute. ep. 39. *INEYND A nobis ratio, & c.* possum quidem, inquit, fanum hic facere: sed illud spectandum nobis est, ut id, quod faciemus, apud posteros habeat religionem: quod fortasse non assequeretur, si in hac solitudine fanum fieret, faciendum igitur est loco celebri, ut in hortis Transiberinis, quod enim in celebritate erit, posteri tuebuntur; quod in solitudine, contemnent. *IN omni mutatione dominorum* & apud omnes posteros, apud omnes meorum bonorum possessores. *Mutatione dominorum*: nam dominus mutatur, cum is, qui possedit, alicui sua bona uel moriens testamento legat, uel uiuens uendit.

uendit. Dominorum igitur, id est omnium, quicumque olim mea praedia uel hereditate, uel emptione possidebunt. Hoc. n. Cicero laborat in primis, ut fanum illud etiam posteris in honore esset. itaque ep. 34. Sepulcri, inquit, similitudinem poteram effugere, si in uilla facerem: sed commutationes dominorum reformido. in agro ubicumque fecero, mihi uideor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. Verebatur autem, ne, si fanum faceret in uilla, posteris ex fano rursus uillam facerent, ubi habitare possent.

Quasi consecratum; tamquam templum aliquod publice consecratum. non enim Cicero Tulliolam, erecto templo, consecrare poterat, nisi collegium pontificum adhiberetur, id porro non solebat adhiberi, nisi ad eos consecrandos, quos publice populus in deorum numerum referri uellet. itaque Cicero fanum illud, quod uidebat consecrari non posse, dabat operam, ut quasi consecratum remaneret. Sed existit, qui ita dicat: Ciceronem improprie locutum, qui in his epistolis Fanum appellarit, quod consecrari non posset: cum re uera fanum id dicitur, quod a pontificum collegio consecratum sit, & in quo deus aliquis publice colatur. Non difficilis nodus; qui nullo negotio soluetur, nempe sic; si intelligemus id, quod res est, Ciceronem appellasse fanum, & fanum item ab alijs appellari noluisse; ut, quod re uera fanum non esset, saltem propter nomen in honore esset. itaque dicit ep. 35. Nolle illud ullo nomine, nisi fani, appellari. **Nihil ego uestigialibus**; ipse se explanat, cum infert, Paruo contentus esse possum. Et uult ostendere, cum uestigialibus iam nihil egeat, se non laborare de sumptu, qui propterea faciendus sit, ut fanum diuturna cum religione, & quasi consecratum remanere possit: quod cum ita sit, cogitare interdum de hortis trans Tiberim parandis, quamquam magno uenirent. **Ob hanc causam**; ut fanum celebri loco factum, religionem semper habeat. **Tv tamen**; refertur ad illud, Coram uidebimus, quamquam, inquit, de hortis coram: tu tamen, quod ad columnas attinet, quibus ad fanum utemur, ne expecta aduentum meum, sed confice, id est transige cum Appella Chio, eme eas ab Appella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat e Chio marmore, qui moneat Atticum, ut ea de re cum homine Chio conficiat. quod si e Chio marmore, sequitur ut eas maxime uoluerit, quae maculis essent uersicoloribus, non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem fani. nam huius generis columnas reliquis fuisse firmiores, scribit Plinius lib. xxxvi. cap. vi. **De iudicatu meo**; ut ego iudicaueram illis esse respondendum. Hi pecuniam Ciceroni debebant. ep. 15. **Si quid perspexeris**; de Cocceio, & Libone. **Et tamen**; cogitabat epistolam ita claudere, **Si quid prospexeris**, uelim scire; sed, cum illud scripsisset, **Si quid perspexeris**, subito recordatus de Cornificij re, addidit, **Et tamen quid procuratores Cornificij dicant**: hoc est, **Et tamen hoc quoque uelim scire, quid procuratores Cornificij dicant**. Cornificij procuratores: eandem rem saepius declarare, putidum est. uide ep. 14. & 18. **Ne perturbarer**; quod Antonius repentinu aduentu noctu urbem introisset. ep. 18. & 20. **Isto nuncio**; quod audierim Antonium, qui ad Caesarem in Hispaniam iter habebat, mutato consilio praeter omnium expectationem reuersum, noctu urbem esse ingressum. **Profectus**; Roma; ut in Galliam eam, M. Bruto successurus. ep. 26. Diem autem profectionis fuisse **III. Kal. Ianuarij**, postea scripsit ipse ad Cassium ep. 17. l. 15. fam. **De Terentia**; de Terentiae querellis, iniquo animo ferentis, quod eam ad obsignandum testamentum non adhibuerim. ep. 18. **Officium agi meum quoddam**; nam, si dicat, eam, quae mihi uxor fuit, (diuortium. n. iam fecerant) ad obsignandum testamentum non aduocasse; uereor, ne in eo me homines reprehendant, quasi officio defuerim; cum ego illam non aduocauerim, quod in mentem non uenit. **Cui tu es conscius**; cui tu scis me non defuisse. tu. n. affuisti, cum testamentum faciebam. quo tempore scis me neque de aduocanda ad obsignationem testamenti, neque de excludenda uxore cogitasse; nihil astute fecisse; sed, quidquid fecerim, fecisse partim ex consilio tuo, partim etiam casu. unde illud epist. 19. Tibi placuit, ut mitterem ad Silium: inde est natum, ut ad Publium. **Vt nonnulli putant, Ciceronis rem**; credunt. n. nonnulli, Terentiam, quod eam ad obsignationem mei testamenti non aduocauerim, Marcum filium in testamento minus liberaliter esse tractaturam. **Quod mihi est & sanctius, & antiquius**; officium: quod magis, quam filij commodum, me mouet. **Hoc alterum neque sincerum, neque firmum**; Terentia neque, ut opinor; cogitat de filij re, cum cogitare se simulet, (hoc est autem, quod Cicero appellat non sincerum; propterea quod, qui simulatione utuntur, non sincere agunt, sed malitiose) & si cogitat, in sententia non permanebit. Notat malitiam Terentiae, cum dicit, Neque sincerum; leuitatem, cum addit, Neque firmum.

Cicero S. D. Attico. 20.

NONDVM uideris perspicere, quam me nec Antonius commouerit, nec quidquam iam eiusmodi possit commouere. De Terentia autem scripsi ad te ijs litteris, quas dederam pridie. Quod me hortaris, idq. a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam grauiter dolere: possum ne magis, quod totos dies consumo in litteris? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi, & sanandi animi causa facio: tamen, si mihi minus proficito, simulationi certe facio scis. Minus

multa ad te scripsi, quod expectabam tuas litteras ad eas, quas ad te pridie dederam. expectabam autem maxime de fano, non nihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorē proximis litteris, Cn. Caepio, Seruiliae Claudij pater, uiuo ne patre suo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia uiuo ne C. Coita, filio suo, mortua sit, an mortuo. pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus. Vale.

O o 2 EXPLA;

EXPLANATIO

ANTONIVS ꝛ absurdum est, iterare, quae diximus ep. 18. & 19. **DOLERE** ꝛ propter interitum filiae. **SERVILIAE CLAUDI** ꝛ uetus locutio, nam, subintelligitur, uxoris. exempla patent in antiquis & lapidibus, & scriptis. epist. 12.

Cicero S. D. Attico. 21.

LEGI Bruti epistolam, eamq. tibi remisit, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras, sed ipse uiderit, quamquam illud turpiter ignorat. Catonē primum sententiam putat de animaduersione dixisse; quam omnes ante dixerant, praeter Caesarem, & cum ipsius Caesaris tam seuera fuerit, qui tum praetorio loco dixerit; consularium putat leniores fuisse, Catuli, Seruili, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcatij, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M. Acilij Glabrianis, Silani, Murense, designatorum consulum. cur ergo in sententiam Catonis ꝛ quia uerbis ualentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderrat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse iudicauerim, quae omnia quia Cato laudibus extulerat in caelum, perscribendaq. censuerat; ideo in eius sententiam est facta discessio, hic autem se etiam tribuere uultum mihi putat, quod scripserit, Optimum consulem, quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera uero tibi quemadmodum rescripsit tantum rogat de S. C. ut corrigas, hoc quidem fecisset, etiam si Rano admonitus esset. Sed haec iterum ipse uiderit. De heris, quoniam probas, effice aliquid, rationes meas nosli, si uero etiam a Faberio recedit, nihil negotij est, sed etiam sine eo posse uideor contendere, uenales certe sunt Drusi, fortasse & Lamiani, & Casiani, sed coram. De terentiano non possum commodius scribere, quam tu scribis, officium sit nobis antiquissimum, si quia nos sefellerit, illius malo me, quam mei paenitere. Oniae C. Lolij curanda sunt HS C. negat Eros posse sine me; credo, quod accipienda aliqua sit; & danda aestimatio, uellem tibi dixisset, si enim res est, ut mihi scribit, paratas nec in eo ipso mentitur: per te confici potuit, cognoscas, & conficias, uelim. Quod me in forum uocas; eo uocas, unde, etiam bonis meis rebus, su-

giebam, quid enim mihi cum foro sine curia? in oculis incurrentibus ijs, quos aequo animo uidere non possum. Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romae sim, neque mihi, ut absim, concedere, aut quatenus eis mihi concedere: iam pridem scito esse, cum unum te pleris, quam omnes illos, putem, ne me quidem contemnos, meoq. iudicio multo stare malo, quam omnium reliquorum, neque tamen, progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quaecumque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti, & fracti animi non fuit, ab his me remedijs noli in istam turbam uocare, ne recidam. De Terentia, quod mihi omne onus imponis; non cognosco tuam in me indulgentiam ista enim sunt ipsa uulnera, quae non possum tractare sine maximo gemitu, moderare igitur, quae so, ut potes, neque enim a te plus, quam potes, postulo, potes autem, quid ueri sit, perspicere, tu unus. De Rutilia, quoniam uideris dubitare, scribes ad me, cum scies, sed quamprimum, num Clodia, D. Bruto consulari, filio suo, mortuo, uixerit, id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest, illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Sartyro. De bartis, etiam atque etiam rogo, omnibus meis, eorumque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus, sed potero meis, eritendum mihi est, sunt etiam, quae uendere facile possum: sed, ut non uendam, eiq. usuram pendam, a quo emero, non plus annum, possum assequi, quod nolo, si tu me adiuuas, paratissimi sunt Drusi, cupit enim uendere, proximos puto Lamiae, sed abest, tu tamen, si quid potes, odorare, ne Silius quidem quidquam utitur, & ijs usuris facillime sustentatur, habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid uelim, ex istima. Vale.

EXPLANATIO

AD ea, quae requisieras, ꝛ σύνταγμα quoddam M. Bruto conscripserat; ut opinor, in Catonis laudem; (hanc enim coniecturam duco ex ijs, quae proxime sequuntur) idq. Attico legendum, & iudicandum miserat. Atticus, respondens, cum quaedam minus probaret, eorum rationem a Bruto requisit. ille nihil ad ea: tantum Atticum rogauit, ut, si quid incertius de senatusconsulto in Catonis sententiam facto protulisset, id corrigeret: cum in reliquis Attici sententiam minimi facere uideretur, nihil ad ea respondens, quae ille requisierat, quod Cicero Bruti in epistola obseruauit, & quasi ob eam rem illum reprehendens, Ad cetera uero, inquit infra, tibi quemadmodum rescripsit? Tantum rogat de S. C. ut corrigas. Deinde sequitur: Hoc quidem fecisset etiam si Rano admonitus esset; hoc senatu: Rogat, ut corrigas eam partem; in qua est de senatusconsulto, in quo sane non prudenter fecit, qui corrigi a te S. C. uoluerit, cum id corrigere uel Rano posset; quippe cum de eo S. C. cuius liceret ex actis cognoscere, curam igitur minimae rei, utpote quam uel Rano scriba posset efficere, ubi commisit: ad cetera, quae requisieras, quae scilicet maioris erant ponderis, nihil rescripsit.

p. sic. Hoc est, cur Cicero Bruti epistolam dicat non prudenter rescriptam. De animaduersione } de pu-
 niendis ijs, qui cum Catilina in patriam coniurauerant. PRAETER CAESAREM. } immo & Caesar ante
 Catonem sententiam dixerat: erat enim Caesar praetor designatus, Cato autem tribunus pl. designa-
 tus: & praetores tribunos dignitate antea bant, itaque & apud Sallustium Cato sententiã dicit post Caesarem.
 est igitur accipiendum, Praeter Caesarem: non modo Caesar ipse, cui respondit Cato, sed omnes
 ante Catonem sententiam dixerant, omnes, autem non senatores, (nec enim ante tribunum pl. designa-
 tum priuatus senator sententiam dixisset) sed, Omnes, dixit de magistratibus ijs, qui tribunis dignitate
 praestabant. PRAETOR IO LOCO. } praetor enim designatus erat Caesar, quo tempore de coniuratis sen-
 tentiam dixit. IN SENTENTIAM CATONIS. } subintelligitur, est facta discessio. REM EANDEM. } poenam con-
 iuratorum, quam & alij sua sententiã comprehendebant, sed uerbis non tam luculentis, neque tam mul-
 tis, quam Cato. RETULERIM. } ad senatum, de coniuratis. PATEFECERIM. } coniurationem. CO-
 HORTATVS SIM. } senatum ad animaduersionem. ANTE QUAM CONSULEREM, ipse iudicauerim. } cum ad
 senatum retulisset de coniuratione deprehensa, non expectauit, ut dicerent, & quid sibi uideretur esse
 faciendum, ostenderent: sed, antequam illos consulerem, id est sententiam rogarem, censui ipse de con-
 iuratis supplicium esse sumendum. Hoc apparet ex oratione iij. in Catilinam. PERSCRIBENDA Q. } cen-
 fuerat. } ut in publicis tabulis appareret, quid de coniuratis Cicero sensisset. QVONIAM PROBAS, } quo-
 niam meum consilium de hortis emendis tibi non displicet, hoc age, hoc cura, ut eos inuenias. In hortis
 autem sanum facere Tullius cogitabat, ut loci celebritas quasi honorem adderet monumento. ep. 19.
 RATIONES MEAS NOSSI. } meae facultates, & meae rationes tibi notae sunt, nõ ignoras igitur, quanti hor-
 tos emere possimus, quod si etiam a Faberio aliquid possumus exigere, (debebat autem Faberius Cice-
 roni, ut supra ostendimus) nullo negotio hortos ememus, Et opinor mendum esse in uerbo Recedit: ac
 fortasse ita corrigendum, Res cedit, uel, Procedit: quale illud Terentianum: Hac non procedit, alia ag-
 grediamur uia. ETIAM SINE EO. } etiam sine Faberio, etiam si a Faberio nihil exigamus. CONTENDE-
 RE. } conari, ut hortos uenales inueniam: quod, etiam sine Faberio, pecunia pro emptione deesse non
 possit. LAMIANI, & CASSIANI. } qui sunt Lamiae, & Cassij. DE TERENTIA. } epist. 18. 20. & 21. OFFI-
 CIUM & C. } agamus cum Terentia, ut debemus; hoc est, demus operam, ut eam ne offendamus: id est:
 si non euenit id, quod optamus; ut ea non erga nos animo sit; malo illius me, quam mei paenitere,
 malo, inquit, ut id potius illius uitio, quam mea culpa contingat: malo accidere, ut ego potius de illa,
 quam de me ipso queri possim. non enim habeo, quam obrem mihi ipse succenscam, cui officium fue-
 rit antiquissimum; habeo autem, cur de illa exoptulem, quae, a nobis officiosissime tractata, non eam
 gratiam referat, quam debet. quamquam enim Cicero cum Terentia diuortium fecerat: tamen, num-
 quam fore putans ut ea iam aerate prouecta iterum uellet nubere, (nupsit autem Crispo Sallustio, histo-
 riarum scriptori, deinde Valerio Messallae) id agebat, ut mulier pecuniosa Ciceronis filij rationem ha-
 beret in testamento. itaque mirandum non est, si in ijs epistolis, quae post diuortium scriptae sunt, labo-
 raretamen uidetur, ut eam ne habeat offensioem. uidebatur enim Terentia uulsi permoleste, quod a
 Cicero ad obsignationem testamenti non esset adhibita. qua de re epist. 18. OUIAE C. LOLLIJ. } sub-
 auditur, uxoris. figura antiqua, & optimis scriptoribus usitata. POSSE SINE ME. } subintellige, curari. Sine
 me, nisi ego ad sim. QVOD ACCIPIENDA ALIQUA SIT, & DANDA AESTIMATIO. } Caesar, pulso ex Italia Pompeio,
 cum Romam reuertisset, fidesq. tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur, consti-
 tuit, ut arbitri darentur, per eos fierent aestimationes possessionum, & rerum, quanti quaeque earum an-
 te bellum fuissent, atque eae creditoribus traderentur. hinc est, quod Cicero interdum dicit Accipere
 aestimationem, pro accipere a debitore possessionem, aut rem, lege Caesaris aestimatam: quo sensu
 posuit illud in epistola ad Paetum: Non eo sis consilio, ut, cum me hospitio recipias, aestimationem te
 aliquam putes accipere. quem locum interpretati sumus. ACCIPIENDA ALIQUA, & DANDA AESTIMATIO. }
 accipienda mihi possessio aliqua, & domus, aut res a debitoribus meis, & ea Ouiae, cui ipse debeo, tradenda.
 Et posuit hic Cicero Aestimationem pro re aestimata, aestimata inquam ab arbitris Caesarianis, quan-
 ti ante ciuile bellum fuisset. DIXISSET. } num aliqua sit accipienda, & danda aestimatio. SI ENIM. } scri-
 bit mihi paratum esse, unde Ouiae soluam: sed id negat posse, nisi me praesente. PER TE. } tu enim meo
 nomine aestimationem accipere a debitoribus meis, & eandem Ouiae dare potuisti. IN FORUM. } ad
 agendas causas, & ad tractanda iudicia. BONIS MEIS REBUS. } ante obitum Tulliolae. Et uidetur subin-
 telligere, Multo magis nunc fugio, cum meae res pessimo loco sint propter interitum filiae. QVOD ENIM
 & C. } ratio, cur, etiam bonis suis rebus, uersari in foro noluisset. SINE CURIA. } amisso senatu, cum se-
 natus nullus sit, quasi dicat: cum dignitatem illam fortis & liberi senatoris amiserim; quid est, quod me
 in foro delectare possit? Et posuit forum pro iudicijs, curiam pro senatu, quod iudicia in foro fierent,
 senatus in curia haberetur. Figura est, quae a grammaticis appellatur *metonymia*. NEQVE TAMEN PROG-
 DIOR LONGIUS. } Quoniam superiore membro sibi uidebatur arrogasse, quasi se excusans intulit,
 Neque tamen quidquam facio, quod auctoritate doctissimorum hominum tueri non possim. IN EAM
 SENTENTIAM. } de consolatione. REMEDIIS. } quae ego capio doctissimorum hominum scriptis
 & legendis, & in mea scripta transferendis. MIHI OMNE ONUS IMPOSITUM. } omnem illius placandae cur-
 ram, in me reijcis. QVOD UERI SIT. } audierat, Terentiam quippiam moliri, quod ipse minus uellet. id
 quid esset, Atticum dicit unum posse perspicere. DE RUTILIA. } quae fuerat, opinor, num ea filio mor-
 tuo nixisset. UT NON UENDAM & C. } sunt, inquit, quae non inuisus possim uendere, ut habeam unde hor-
 tos emam, sed, si tu me adiuuas, possum assequi, quod uolo, ut nihil uendam, eique, a quo emero, usu-
 ram

ram tantummodo annuam pendam. *Quod uolo* & quod ago, quod studeo, quod conor: quale illud in epistola ad Lentulum: Scripsi Aristotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in disputatione, ac dialogo de oratore. Si tu me adiuuas & si tuo studio consequi potes, ut pecuniam ab ijs, qui debent, exigamus, hoc enim non ad facultates Attici, sed ad operam & diligentiam pertinet. & refertur ad illud, Possum assequi. *Non plus annum* & tale illud est epist. 6. lib. 6. Num est hoc, non plus annum obtinere prouinciam? Dixisset etiam eleganter, Non plus annuam. *Paratissimi* & horti, supra, Venales certe sunt Dfusi. *Proximos puto Lamiae* & proximos, inquit, hortos Lamiae paratissimos esse puto, non enim dicit, proximos hortos puto esse Lamiae: sed proximos hortos Lamiae puto esse paratissimos: cum certum non haberet, horti Lamiae uenales essent, nec ne: quod ostendit insequens membrum. Si quid potes, odorare, & multo magis epist. 21. Venales certe sunt Drusi, fortasse & Lamiani. *Odorare* & num uenales sint horti Lamiae. Ne. *Silius quidem &c.* & etiam hortos Silij facile possumus habere: primum quod ille nihil utitur: (subintellige horti) deinde quod usuris, quas nos ei in annum pendemus, facillime sustentabitur. Et uerbum, *Sustentabitur*, egestatem Silij declarat. *Habe tuum negotium*, & existima tuum esse negotium. haec res tibi curae sit, item ut si tua res esset, genus loquendi perlegans: quo & infra utitur, lib. 14. epist. 2. *Quid uelim* & habe rationem meae uoluntatis, non rei familiaris. noli cogitare, tantum sumptum meas facultates non ferre: cogita, me, maxime cupere: subaudi hortos, ac fanum. quasi dicat: Etiam si in hortos & in fanum maior impensa facienda sit, quam res mea familiaris postulat, tamen, quando me hanc rem tantopere uides uelle, adiua, & tuam operam ac diligentiam praesta.

Cicero S. D. Attico. 22.

PVTARVM te aliquid noui; quod eiusmodi fuerat initium litterarum; quamuis non curarem, quid in Hispania fieret, tamen te scripturum: sed uidelicet meis litteris respondisti, ut de foro, & de curia, sed domus est, ut ais, forum, quid ipsa domo mihi opus est, carenti foro? occidimus, Attice, iam pridem nos quidem, sed nunc fatemur, postea quam unum, quo tenebamur, amisimus. itaque solitudinem sequor. & tamen, si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero, (potero autem) ut praeter me nemo dolorem meum sentiat; si ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam illa causa est non ueniendi, meministi, quid ex te Atedius quaesierit. quin etiam nunc molesti sunt: quid existimas, si uenero? De Terentia ita cura, ut scribis; meque hac ad maximas aegritudines accessione non maxima libera. Et, ut scias me ita dolere, ut non iaceam, quibus consulibus Carneades, & ea legatio Romam uenerit, scriptum est in tuo annali. haec nunc quaero, quae causa fuerit, de Oropo, opinor, sed certum nescio: & si ita est, quae controuersiae: praeterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis? qui praefuerit hor-

tis: qui etiam Athenis, *μαθηματικὸν* fuerint illustres, quae etiam ex Apollodori puto posse inueniri. De Attica, molestum: sed, quoniam leuiter, recte esse confido. De Magala dubium mihi non erat, unde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam? cui ut omnia contingant, quae uolo, leuari non possum. De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram, & ut opinor, heri ad te scripseram: sed quanti quanti, bene emitur, quod necesse est, mihi, quoquo modo tu existimas, (scio enim, ego ipse quid de me existimem) leuatio quaedam est, si minus doloris, at officij debiti. Ad Sicam scripsi, quod utitur L. Cotta, si nihil conficeretur de transiberinis, habet in Ostiensi Cottra celeberrimo loco, sed pusillum loci, ad hanc rem tamen plus etiam satis, id uelim cogites, nec tamen ista pretia hortorum pertimueris, nec mihi argero iam, nec ueste opus est, nec quibusdam amoenis locis: hoc opus est, uideo etiam, a quibus adiuuari possum. sed loquere cum Silio, nihil enim est melius, mandauit etiam Sicae, rescripsit, constitutum se cum eo habere, scribat igitur ad me, quid egerit, & tu uidebis.

EXPLANATIO

QVAMVIS non curarem &c. & Atticus proximis litteris ita scripserat Ciceroni: Quamuis de Hispania non cures, tamen ad te sum scripturus, itaque putauit te Cicero in ijs litteris aliquid noui de Hispania esse reperturum, neque tamen reperit; propterea quod Atticus non in ijs litteris, quas tum dabat, intellexerat se esse scripturum de Hispania, sed in ijs, quas deinde daturus erat; cum scilicet de rebus Hispanicis noui aliquid Romae esset allatum, gerebat autem Caesar tum in Hispania bellum contra Pompeij filios. *Sed uidelicet meis litteris respondisti*, & tantummodo litteris meis respondisti, nihil praeterea, nihil de Hispania, aut alia de re. *Ut de foro, & de curia* & uide supra ep. 21. *Domus est, ut ais, forum* & scripserat Atticus: cum Romae eris, si uersari in foro non libebit, quod quosdam homines aequo animo uidere non possis; at domi esse poteris, quae tibi erit pro foro, ita & ijs satisfacies, qui a te postulant ut Romae sis, neque tibi, ut absis concedunt: & assequeris quod tu uis, ut forum ne frequentes, *Iam pridem* & cum libertatem amisimus. *Posteaquam &c.* & posteaquam filiam amisi: quod erat unicum solatium in malis. *Praeter me* & omnino, ut opinio mea fert, apertius quiddam, & concinnius accesserit ad sententiam, si legatur, Praeter te. *Atque etiam illa causa &c.* & causa, quae proxime sequitur. Sensus est: Praeter alias causas, quibus ego adducor, ut Romam non ueniam,

ueniam, (in ijs autem haec erat, quod neque curia, neque foro frui poterat, quemadmodum stante rep. solitus erat) etiam illa est, quod Caesariani, si uenero, molestissimi erunt, flagitantes id a me, quod Ate-
 dius, idest Caesar ex te quaesierat. Forte aut hoc quaesierat Caesar ex Attico, cur Cicero tam infrequens
 esset in urbe: quem assiduum Romae esse, & in senatum uenire, summe cupiebat, quo scilicet ea, quae
 agebantur, probare uideretur: quae quidem putabat fore minus inuidiosa, siquidem essent praesente,
 & assentiente Cicerone, optimo, & grauissimo ciue, constituta. **MOLESTI sunt:** & Caesariani. nam Caes-
 ar hoc tempore bellum in Hispania gerebat aduersus Pompeij filios, sed ipsius amici, & familiares, qui
 Romae erant, petebant a Cicerone quod Caesarem uelle sciebant, aut fortasse etiam quod a Caesare in
 mandatis habebant: petebant autem, quod supra proxime diximus, ut in senatum uenire, & ipsorum de
 rep. consilijs uellet interesse. **Molesti,** igitur in petendo. **De Terentia** & epist. 18. 20. & 21. **DOLERE** & pro-
 pter interitum filiae. **VT non iaceam** & ut aliquid tamen agam, ut inertiae prorsus me non dediderim.
 iacere enim dicuntur ij, qui prorsus nihil agunt, & ab omni rerum curatione uacant. unde illud lib. 11.
 de officijs, **Cam C. Marius** septimum annum post praeturam iaceret. **CARNEADES,** & ea legatio & Car-
 neades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus ab Atheniensibus legati Romam uene-
 runt. ex historia. **IN tuo annali:** & significat eum Attici librum, quem ad Ciceronem misit, ut ex proo-
 mio de claris oratoribus apparet. eius libri Cornelius Nepos in Attici uita mentionem facit his uerbis;
 Antiquitatem adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uolumine exposuerit, quo magistra-
 tus ornauit, nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est, quae non in eo suo tempore
 sit notata. Et Cicero in Bruto: Eam utilitatem habuit Attici liber, quam requirebam; ut explicatis or-
 dinibus temporum, uno in conspectu omnia uiderem. Et ibidem paullo post ex Attici persona: Eisq.
 nosmet ipsi ad ueterum annalium (sic enim lego) memoriam comprehendendam impulsus, atque in-
 centus sumus. Et idem, nescio quo in loco, sed idem certe: Quem laborem nobis leuauit Attici nostri la-
 bor; qui annorum quingentorum memoriam uno libro colligauit. **QVAE causa** & cur ea legatio Ro-
 mam uenerit. **De Oropo, opinor,** & recte opinabatur. nam Athenienses, afflicti bello Macedonico, sum-
 ma in paupertate cum essent, non auidia aut libidine adducti, sed necessitate impulsus, Oropum, urbem
 sibi subditam, diripiunt. Oropij querentes ad senatum Romam confugiunt. senatus iudicat eam inju-
 riam Oropijs non iure factam. mandat Sicyonijs, ut causa cognita, multam Atheniensibus, auctoribus
 iniuriae, pro damno dato irrogent. Sicyonij, cum ad iudicium Athenienses non affuissent, multam di-
 xere talentorum quingentorum. sed senatus petentibus Atheniensibus, qui legatos eius rei causa tres
 philosophos Romam miserant, omnia remisit, praeter talenta centum: quae tamen ne ipsa quidem pe-
 penderunt. Haec ex Pausaniae historia de Achaicis, Plutarchi Catone maiore, Gellio lib. 7. cap. 14. & lib.
 17. cap. ultimo, Macrobius lib. 1. cap. 5. **SI ita est** & si est, ut ea legatio Romam uenerit Oropi urbis causa;
 inter ipsos Oropios, & Athenienses, qui legationem miserunt, quae controuersiae fuerint, scire uelim.
Qui praesuerit hortis & qui Epicureorum princeps fuerit, quis primum locum inter Epicureos tenuerit.
Horti: gymnasio & scholae Epicuri. nam ut Lycaeam, Peripateticorum; Porticum, Stoicorum; Acade-
 mia, Platoniorum: sic Horti, Epicureorum: Athenis enim aedes Epicuri uilla fuit. Plin. lib. 19. c. 11. Iam
 quidam, hortorum nomine, in ipsa urbe delicias, agros, uillasq. possident. primus hoc instituit Athenis
 Epicurus, hortorum magister. usque ad eum moris non fuerat, in opidis haberi rura. **APOLLODORI** &
 subaudi, libris: figura graeca, qua Cicero etiam alibi usus est, ut cum dixit, ad Martis, in Scapulae, per
 Locustae. subintelligitur enim, aedem, hortos, fundum. **De Attica** & Atticae significat aegrotationem.
MAGALA & huius pater cum Ligus fuerit, ut proxime constat; uerisimile mihi fit, Magalam ipsum, Li-
 gnus filium, ex Aeliorum familia fuisse. nam Ligus Aeliorum cognomen fuit, ut ex oratione pro Sex-
 tio, & factis consulum apparet. **DVBIUM mihi non erat &c.** & subintellige, quin ex eo morbo moriturus
 esset. deinde, causam subscribens, intulit: Vnde enim tanta felicitas patri fuisset, ut tam probo filio diu-
 tius frueretur? quasi dicat: Mirabar, Ligurem non esse felicem, ut ex ijs rebus, quibus felicitatem me-
 tiri solemus, prorsus nullam amitteret. sed nimirum dii immortales eum filio priuarunt, ne tam felix
 esset. Et hoc dicit, ut ostendat, felices esse non posse, qui filios amittant; ad obitum filiae spectans, quam
 amissam lugebat. **NAM quid de me dicam?** & sensus est: Ligus, qui tum felix esse uidebatur, nunc, amif-
 so filio, felix iam esse non potest. nam quid de me dicam? qui etiam si omnia consequar, quae uolo,
 tamen non modo felix esse, sed ne leuari quidem eo dolore possum, quem ex interitu filiae suscepti.
QUANTI quanti & subintellige, liceant. Etiam si, inquit, hortos emam quantiuis, non male emerо; si-
 quidem, quod necessarium est, id quamquam magno pretio emptum, bene tamen emptum est. horti
 autem mihi ad sanum necessarij sunt. non possum igitur eos nisi bene emere, etiam si magno. **LEUA-
 TIO** & si sanum exstruo, leuatio quaedam est, si minus doloris, at eius officij, quod a me debetur. **OF-
 FICII debiti** & simile illud est ep. 18. Iam quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto. **LOCOTTA** &
 qui consul fuerat cum L. Torquato. ep. 20. **AD hanc rem** & ad sanum exstruendum loci satis erit. **VI-
 DEO &c.** & uideo, qui possunt hortos habentibus persuadere, ut mihi uendant. uideo, qui me possint
 adiuuare ad eam rem, quam uolo, consequendam. Et est ad Atticum tacita cohortatio, ut adiumento
 sit in ea re, prae qua uideat argentum, uestem, amoena loca nihil putari. **NIHIL enim est melius.** & Si-
 liani, inquit, horri supra omnes placent, age igitur cum Silio, ut nobis uendat. **MANDAUI etiam Si-
 liae** & ut cum Silio de hortis mihi uendendis loqueretur. **CONSTITVTVM &c.** & constituisse cum
 Silio, ut una loqueretur.

BENE fecit A. Silius, qui transegerit. neque enim mei deesse uolebam, & quid possem, timebam. De Ouia, confice, ut scribis. De Cicerone, tempus esse iam uidetur: sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permittari ne possit, an ipsi ferendum sit: de totaque re, quemadmodum, & quando placeat, uelim consideres. Publius iururus ne sit in Africam, & quando, ex Atedio scire poteris. quaeras, & ad me scribas, uelim. Et, ut ad meas ineptias redeam, uelim me certiolem facias, P. Crassus, Vinuliac filius, uiuo ne P. Crasso, consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse uideor, an post item quaero de Regillo, Lepidi filio, recte ne meminerim, patre uiuo mortuum. Cispiana explicabis, item Praetiana. De Attica, optime: & ei salutem dices, & Piliac.

EXPLANATIO

QVI transegerit? qui hortos alij uendiderit. Quod sequitur, Deesse, refertur uel ad inopiam Silij, uel ad ipsius promissum; sed potius, opinor, ad inopiam Silij, hoc sensu: Ego, si hortos a Silio emissum, pecuniam ei grandiolem dedissem, quam cuius alij, habita scilicet eius inopia ratione. neque enim, inquit, Ei deesse uolebam. Insequens membrum, Et, quid possem, timebam, sic explano: Et tamen uerebar, ne non tantam pecuniam ei pro hortis possem dare, quantam ad eius inopiam subleuandam uoluissim; uel, quantam ipse posceret. De Ouia, confice? quid significet, hoc quidem ex loco non apparet; sed, ut saepe iam dixi, locus locum illustrat. locos autem ipsos inter se conferre, ut, quae similia sint, quae repugnantia, notentur, non solum diligentiae est, sed etiam iudicij. leuemus igitur, quoniam quidem hoc suscepimus, quamquam fortasse plus suscepimus, quam sustinere possimus, sed leuemus, quantum in nobis est, labore eos & quaerendi, & considerandi, qui suum studium ad has Ciceronis epistolas contulerint. Supra igitur, epist. 21. de Ouia his uerbis: Ouiae C. Lollij curanda sunt HS C. itaque uerbum, Confice, sic explano, cura ei HS C. quae deberi a me scis. eadem de re infra epist. 29. Cum Ouia, inquit, quaeso quidem ut conficiatur. **TEMPUS esse iam uidetur**? ut Athenas ad studia proficiscatur. **QUANDO placeat**? quando tibi uideatur, ut Athenas Ciceronem mittamus. **PUBLIUS & c.**? hac de re infra epist. 27. his uerbis: Publius, si aequinoctium expectat, nauigaturus uidetur, mihi autem dixerat, per Siciliam. **A TEDIO**? supra epist. 4. cum dixit, Horum quid est, quod Atedio probare possimus? Caesarem significauit, nomine commutato. sed in hoc loco non est, ut, Atedium dici Caesarem, possit accipi; qui, quo tempore haec epistola scripta est, bellum in Hispania gerebat aduersus Pompeij liberos. Atedio, igitur accipiamus pro Publij amico, & familiari, quem admodum & infra, epist. 27. **P. CRASSVS & c.**? habebat in manibus eum librum, quem de obitu filiae, se ipsum consolans, scripsit. ad eum igitur librum, quae ex Attico quaerit, pertinebat. fecit idem supra, epist. 20. & 21. Atticus autem & habebatur, & erat *ισοπικώτατος*. **CISPIANA, & Praetiana explicabis**? nomina, hoc est, debitam mihi a Cispio, & Praetio pecuniam. infra epist. 29. De nomine, inquit, tu uidebis cum Cispio. Hoc, quod attinet ad sententiam, quod ad genus loquendi, eadem, inquit, epistola, Si Faberianum, explicas, hortos emamus uel magno; sin minus, ne paruo quidem possumus. **OPTIME**? subaudi, quod lenius aegrotat.

SCRIPSIT ad me diligenter Sica de Silio, seq. ad te rem detulisse: quod tu idem scribis. mihi & res, & condicio placet, sed ita, ut numerato malim, quam aestimatione. uoluptarias enim possessiones nolet Silius: uel tignibus autem ut his possum esse contentus, quae habeo, sic uix minoribus. unde ergo numeratos? HS DC exprimes ab Hermogene, cum praesertim necesse erit. & domi uideo esse HS DC. reliquae pecuniae uel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, uel ab alio quo, qui Faberio debet, repraesentabimus. erit etiam aliquid alicunde. sed totam rem tu gubernabis. Druisius uero hortis multo antepono: neque sunt unquam comparati, mihi crede. una me causa mouet, in qua sit me *περοσώσσει*: sed, ut facias, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis *εγγύραμα*: actum iam de isto est alia magis quaero. Vale.

EXPLANATIO

ET RES, & condicio? res, horti ipsi, quos Silius uendere uult. condicio, uel pecuniam dixerat Silius se esse accepturum pro hortis, uel pro pecunia, ex Ciceronis possessionibus aliqua, facta aestimatione, ut ne minoris esset possessio, quam acciperet, quam quanti essent horti, quos uenderet. Haec conditionem respondet Cicero sibi placere, sed ita, ut numerare pecuniam malit, quam e suis praedij ullum tradere. **AESTIMATIONE**? praedio aestimato, ut pretium hortorum acquet. Aestimatio enim hic

hic accipitur pro re aestimata, ut in epistola ad Paetum, Quando tuas aestimationes uendere non potes. **VOLVPTARIAS** &c. ratio, cur numerato malit, quam aestimatione. nam neque, inquit, uoluptarias possessiones accipere Silius a me uolet: & eas, quae, fructuosae sunt, ego ei tradere non possum. **VECTIGALIBVS** & redditibus, fructibus, uectigal enim & publicum est, & id significat, quod ex possessionibus capitur. **A FABERIO repraesentabimus** & Repraesentare, Budaeus hoc loco dicit esse, praesenti pecunia soluere, non, ut alijs locis, ante diem soluere. non improbo eruditi hominis opinionem; quam ne cur probem quidem est. cur enim usitatum uerbi significationem sine causa negligimus? sane mihi placet, ac uehementer quidem placet, ut hic, Repraesentare, ualeat ante diem soluere; contra Budaei sententiam, fateor; sed numquid apud me plurius esse debet ullius auctoritas, quam ratio, & ueritas ipsa? neque tamen illum, quem omnibus nostrae aetatis hominibus eruditione uideo praefuisse, ut male sententem reprehendo; sed, quando interpretis partes suscepi, & praeter communem utilitatem nihil specto; quod meum officium est, quodq. mihi a principio ad hoc opus aggredienti propositum fuit, id facio, ut omnia libere exponam, cum hoc tamen, ne quid temere affirmem. sensura igitur consideremus, & enodatum, quam planissime poterit, explanemus. Siliiani, inquit, horti, de quibus ad me scripsisti, placent, sed ita, ut numerato eos malim accipere, quam aestimatione. si autem numerato accipimus, unde pecunia? habebimus, infert, **HS DCC**, ab Hermogene expressa; & **DCC** item, quae domi sunt, erit igitur, unde sumamus **HS MCC**. quae autem reliqua pecunia erit, quae scilicet a nobis supra **HS MCC** Silio debetur; ei pecuniae soluendae diem, puta annuam, uel bimam, praestituemus. interea Silio uel usuram pendemus. Quoniam autem hoc posuerat, Usuram pendemus: ueritus, ne Attico uideretur insanire, qui hortos usque eo cuperet, ut etiam usuras subire uellet; quasi se excusans adiecit, Dum a Faberio repraesentabimus; hoc significans, diuturnorem usuram non futuram; cum putet se, pecunia a Faberio debitore sumpta, repraesentaturum, hoc est solutionem facturum ante diem reliquae pecuniae soluendae praefinitam. certe enim hortos, nisi praesenti pecunia potuisset, uel pendendis usuris emere cogitabat: quas putabat fore ut non diu penderet, cum speraret, hortorum pretium, pecunia a debitoribus suis exacta, breui se posse totum persoluere, quod confirmat illud ep. 21. Ut usuram ei pendam, a quo emero, non plus annum; possum assequi, si tu me adiunas. Simili sententia dixit, Repraesentare medicinam, in epistola ad Titium; & Repraesentare diem, ad Tironem; & Repraesentare libertatem, Philippica 11. & Repraesentare improbitatem, libro XVI. ad hunc ipsum, quibus ex locis cum de significatione huius uerbis liqueat unicuique uel negligenter consideranti; cumq. in eum, quem nos ostendimus sensum accipi hoc in loco non absurde possit uox illa, Repraesentabimus: non uideo cur assentiar Budaeo, docto alioqui uiro, & de litteris optime merito; cum praesertim, Repraesentare, pro praesentem pecuniam soluere, quo modo ipse explanat, nusquam apud eos, quos ego auctores in Latina lingua uehementer sequor, possum reperiam. **DRUSIANIS** & Drusianis, analogia requirit, ut a Bruto Brutinus: sed analogiam interdum consuetudo uincit. unde & Drusianae fossae nomen apud Tacitum l. 2. quam tamen Suetonius in Claudio Drusianam uocat. **COMPARATI**, & Drusianos hortos nemo unquam Silianis comparauit. quasi dicat: semper enim Siliiani celebriores atque amoeniores habitati sunt. tale illud in Laelio, Hi nec comparantur Catoni. **MOVET**, & ut hortos desiderem. Quae autem haec erat causa, cur tantopere hortos Cicero desideraret? nimirum illa, ut haberet ubi filiae sanum exstrueret. quam causam, ut Attico notificam, silentio praeterit. sed in ea fatetur se *τετυρωσθαι*, id est insannisse. hortos enim aedo cupiebat, ut in ea re suam ipse quasi quandam insaniam agnosceret. *εγρηπαυα*: & senectutis requies, uerbum, quod Atticus usurpauerat in epistola ad Ciceronem, suadens, opinor, ut de senectute cogitaret, ideoq. ne tantam pecuniam in hortos erogaret. **ACTVM** iam de isto est, &c. & hanc ego curam iam abieci: hoc mihi iam amplius curae non est: quiduis aliud potius quaero, quasi hoc dicat: de uita iam non cogito.

Cicero S. D. Attico. 25.

SICA, ut scribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit x. kal. esse uenturum. cuius occupationib. ignosco: eaeq. mihi sunt notae. De uoluntate tua, ut simul simus, uel studio potius, & cupiditate, non dubito. De Nicia quod scribis: si ita me haberem, ut eius humanitate frui possem, in primis uellem illum mecum habere: sed mihi solitudo & recessus prouincia est, quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum deside-

ro, praeterea nostri Niciae nostri imbecillitatem, molli-
ciem, consuetudinem uictus. cur ego illi molestus ue-
lim, cum mihi ille iucundus esse non possit? uoluntas
tamen eius mihi grata est. Vnam rem ad me scripsisti,
de qua decreui nihil tibi rescribere. Spero enim me a te
impetrasse, ut priuares me ista molestia. Piliae, & At-
ticae salutem. Valc.

EXPLANATIO

CONFECERIT & de hortis. VENTVRVM & ad me. quod ex duabus insequentibus epistolis apparet. DE Nicia & hic est Nicias grammaticus, de quo Suetonius in libello de claris grammaticis: qui etiam docuisse uidetur Plancum Bursam, fam. ep. 10. lib. 9. VNAM rem & de Terentia scilicet. SPERO enim &c. & spero, inquit, me a te impetrasse, ut ipse me ista molestia priuares, hoc est ut hoc onus ipse susciperes. hoc enim Cicero Atticum iam antea rogauerat, quin ipsa uerba recitemus: Quod, inquit, ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te mi Attice suscipe totum negotium. Haec supra, epist. 19. Ecin eandem sententiam ep. 21. his uerbis: De Terentia, quod mihi omne onus imponis, non agnosco tuam in me indulgentiam. ista enim sunt uulnera, quae non possum tractare sine maximo dolore. moderare igitur, quaeso, ut pores.

Cicero S. D. Attico. 26.

DE Siliano negotio, et si mihi non est ignota condicio, tamen hodie me ex Sica arbutor omnia cogniturum. Cortae quidem negas te nosse. sed ultra Silianam uilla est, quam puotibi notam esse, uillula sordida, & ualde pusilla: nihil agri: ad aliam rem loci satis, nihil ad eam, quam quaero, sequor celebritatem, sed, si perferitur de hortis Silij, hoc est, si perficis; (est enim totum postum in te) nihil est scilicet, quod de dote Cortae cogitemus. De Cicerone, ut scribis, ita faciam: ipsi permittam de tempore: mummorum quantum opus erit, ut permittatur, tu uidebis. Ex Aredio, quod scribis, si quid inuenis, scribes. Et ego ex tuis animaduerto li-

teris, & profecto tu ex meis, nihil habere nos, quod scribanus. eadem quotidie: quae iam, iamque, ipsa contrita sunt: tamen facere non possum, quin quotidiè ad te mittam, ut tuas accipiam. De Bruto tamen, si quid habebis, scire enim iam puto, ubi Pansam expectet. si, ut consuetudo est, in prima prouincia, circiter kalendas affuturus uideatur, uellem, tardius, ualde enim urbem fugio multas ob causas. itaque id ipsum dubito, an excusationem aliquam ad illum parem: quod quidem uideo facile esse, sed habemus satis temporis ad cogitandum. Piliae, Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

DE Siliano negotio, & de hortis Silij, de quibus supra. CONDICIO, & uoluntas Silij de nenditione hortorum: ut in epistola, quam subsequitur proxima superior, Mihi inquit, & res, & condicio placet. CORTAE & subintellige, uillam: de qua epist. 21. Ad aliam rem loci satis, nihil ad eam, quam quaero. & non dubito, quin hoc ordine legendum sit: Ad aliam rem loci satis ad eam, quam quaero. nam, quo modo in uulgaris libris legitur, plane sententiam esse apparet Ciceronis sententiae contrariam. quorsum enim de emenda Cortae uilla cogitabat, si ad eam rem, quam quaerebat, loci nihil esset, quid argumentor? en, quod nostram opinionem ita confirmet, ut nihil praeterea possit desiderari. Habet, inquit supra, in Ostiensi Corta celeberrimo loco, sed pusillum loci, ad hanc rem tamen plus etiam satis. DE tempore. & quando uelit discedere, ut Athenas eat studiorum causa, supra, De Cicerone, inquit, tempus esse iam uidetur: sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutari ne possit, an ipsi ferendum. DE Bruto tamen, & quia de Bruti aduentu iam ante Atticum rogarat, ut ep. 14. 18. & 19. iccirco dictionem, Tamen, uenuste utrupauit, quae si dicat: Quamuis haec de te saepius iam ex te quaesierim, tamen idem illud quaero. SCIRE enim iam puto & subaudi, te. cum autem scias, ubi Pansam expectet, facile potes, quo tempore futurus Romae sit, coniectura consequi, ep. 19. IN prima prouincia & Gallia: cui praefuit Plutarchus, & Cicero epist. 6. lib. 6. fam. item in Oratore. Uellem, tardius, & uellem, tardius adesset Brutus: nam si kalendis Romae fuerit, ueniendum mihi erit, ut ipsius aduentu gratuler: itaque, quod uellem, consequi non potero, ut in senatum ne ueniam: qui plerumque kalendis habebatur. uide illud epist. 5. Mihi etsi kalendae uitandae fuerunt. Tardius: post kalendas, hoc est post diem, quo senatus habebatur: quo die Romae esse Cicero noluisse, ne in senatum ueniret. MVTAS ob causas & ex quibus erat illa uel maxima, ne in senatum uenire necesse esset. AN excusationem aliquam ad illum parem & an Bruto melioris excusum, & causam aliquam afferat, cur Romam uenire non possim, epist. 18. FACILE & facilem excusationem esse uideo. possum enim uel in morbum, uel in ma-

Cicero

Cicero S. D. Attico 27.

DE Silio nihil plura cognoui ex praesente Sica, quam ex litteris tuis. scripseras enim diligenter. si igitur tu illum conueneris, scribes ad me, si quid uidebitur. De quo putas ad me missum esse, si missum, nec ne, nescio; dictum quidem mihi certe nihil est. tu igitur, ut coepisti, & si quid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri posse) ut illi probetur; Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis. eius aliquid interest, uideri illius causa uoluisse: mea quidem nihil, nisi id quod tu scis, quod ego aestimo. Quod me ad meam consuetudinem reuocas, fuit meum quidem iam pridem tempore, regere, quod faciebam; sed interea erat, ubi acquiescerem. nunc plane nec ego uictum, nec uitam illam colere possum; nec in ea re, quid alijs uideatur, mihi puto curandum. mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Quod me ipse per litteras consolatus sum; non paenitet me, quantum profecerim, maiorem minui, dolorem

nec potui, nec, si possem, uellem. De Triario, bene interpretaris uoluntatem meam, tu uero nihil, nisi ut illi uolent. amo illum mortuum: tutor sum liberis: totam domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipijs pecuniam accipere uolet, eamque ei solui, ut nunc soluitur, certe nihil est commodius, sin autem ita actum est ut ipsa mancipia abduceret; non mihi uideatur esse aequum. rogas enim me, ut tibi scribam, quid mihi uideatur. nolo enim negotij Quintum fratrem quidquam habere: quod, uideor mihi intellexisse, tibi uideri idem. Publius, si aequinoctium expectat, ut scribis. Aedium dicere, nauigaturus uidetur, mihi autem dixerat, per Siciliam, utrum, & quando, uelim scire. Et uelim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum uidas, cui de mancipijs, quae tibi uidebitur, attribuas. Piliae, Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

MISSVM esse, & a Terentia, ILLI Terentiae. VIDERI & ut uideatur matris causa uoluisse. QVOD ego aestimo, & ueteres libri diligenter inspiciendi, aliquot enim de causis in mendis suspicionem adducor. Ad consuetudinem & ad temp. administrandam. ERAT, ubi acquiescerem & hoc significat; labores, quos olim reip. causa suscepit, minus graues fuisse, cum haberet filiam, cuius in sermone, & suauitate conuiescere solitus esset: qua amissa, non esse cur eisdem labores susciperet, nulla iam alleuationis spe relicta. Nec ego uictum, nec uitam illam colere possum & non modo ferre rationem illam uiuendi non possem, sed ne uitam quidem ipsam uiuere illi similem, tantum, inquit, abest, ut genus illud uitae sequi nunc possim; ut etiam uitam me esse amissurum intelligam, si ita uelim uiuere, ut tum uiuebam, quasi dicat: non modo genus illud uitae colere non possem, sed nec uiuere quidem, si illam uitae rationem sequi uellem. QUID alijs uideatur & forte enim Atticum scripserat, reprehendi Ciceronem, quod in urbe non uiueret, quasi proflus omnia reip. cura, quod antea quoque Atticum scripserat, apparet ex illo loco ep. 21. Quod homines a me postulare scribis, ut Romae sim, neque mihi, ut absum, concedere: iam pridem scio &c. MEA mihi conscientia & mei enim erga reip. animi cum ipse mihi optime sim conscius, de illorum sermone non laboro, non enim absum, quod eam negligam; sed quod eiusmodi sunt tempora, ut, etiam si adsum, iuuare nihil possim. CONSOLATVS & in morte filiae scripsit librum de Consolatione ad se ipsum, ep. 14. & 20. Nec, si possem, uellem & esset enim inhumanum, amissa unica filia, & tali filia, non dolere, unde illud Crantoris in tertio Tusculanarum: Istuc, nihil dolere, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. PRO mancipijs & mancipia Castricius ante uendiderat Quinto Ciceroni, eorum mancipiorum pretium, apparet, a Quinto non fuisse ad diem persolutum. EAMQUE ei solui, ut nunc soluitur & ostendit se condicionem eius uenditionis ignorare, si enim Castricius, inquit, a fratre meo pecuniam accipere uolet pro mancipijs, eamque pecuniam ita solui, ut nunc soluitur; (dicit autem Nunc, quia debitores eo tempore pecuniam creditoribus ita soluebant, non ut pecuniam darent, sed ut pro pecunia possessiones, tanti aestimatas, quanti ante ciuile bellum fuissent; quod Caesar, & ut debitoribus consuleret, & ut merum nouarum tabularum tollerent, edicto constituerat, certe nihil est commodius, possessionem enim pro pecunia, quam debet, frater aliquam dabit, sin autem ita actum, & haec inter eos de mancipijs pactio facta est, ut Castricius, Quinto pretium mancipiorum intra certam non persolente, ipsa mancipia, quae uendiderat, abduceret: hoc mihi non uideatur esse aequum. ut enim ad diem frater non soluerit, ideo tamen cum priuari mancipijs iniquum est, cum quidem solutionem, quam ciuiliu bellorum difficultate afflictus necessario distulit, eam nunc facere paratus sit. TIBI uideri idem & tibi quoque uideri, non aequum esse, ut mancipia Castricius a fratre abducatur, quod eorum pretium sibi ad diem non enumerarit. AEQUINOCTIUM & uernum, nam haec hie, me scripta sunt: quod ita esse, proxima superior epistola significat, in qua Paulae in prouinciam Galliam proficiscens, Brutique ex eadem prouincia decedens mentio fit. Pantam autem III. Kal. Ian. ab urbe profectum esse, apparet ex epistola ad Cassium, altero epistolarum uolumine, uernum igitur aequinoctium, non autumnale, significatur, primum ex argumento, quod posui, de historia sumptis; deinde ex illa clausula, Nauigaturus uidetur, certe, non post uernum aequinoctium tutor est nauigatio, quam post

autumnale. non enim Publius aequinoctium, ut eo nauigaret, sed, ut post, expectabat. uide, quae diximus ep. 1 §. l. x. ATEDIUM § ep. 13. NAVIGATURVS § in Africam, supra ep. 23. LENTVLVM puerum] apparet, Ciceronem ei tutorem fuisse; cum inforat, De mancipijs quae tibi uidebitur, attribuas, mancipia n. accipio, quae Cicero, sibi a Lentulo, pueri patre, cum reliquis bonis testamento commendata, tutorum more tuebatur. aperius indicat insequens epistola; si consideretur illud, Pueros attribue ei, quos, & quot uidebitur.

Cicero S. D. Attico. 28.

SILIVS, ut scribis, hodie, cras igitur, uel potius cum poteris, scribes, si quid erit, cum uideris. Nec ego Brutum uito, nec tamen ab eo leuationem ullam exspecto: sed erant causae, cur hoc tempore istuc esse nollem: quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum: & ut nunc est, mansurae uidentur. De hortis, quae so explica. caput illud est, quod scis, sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit. nec enim esse in turba possum, nec a uobis abesse. huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. & de hac re quid tui consilij sit, mihi persuasum est, & eo magis, quod idem intellexi tibi uideri, me ab Oppio, & Balbo ualde diligere. cum ijs

communices, quanto opere, & quare uelim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. sint igitur auctores futuri, si qua etiam iactura faciunda sit in re praesentando: (quod possum) adducito. tum enim illud de speratum denique intelliges, & quid inclinent ad hoc meum consilium adiuuandum. si quid erit, magnum est adiumentum: sin minus, quacumque ratione contendamus. uetus illud ἔγγυμα, quemadmodum scripsisti, uel ἔγγυμα putato. De illo Ostiensi nihil est cogitandum, si hoc non assequimur, a Lamia non puto posse. Damassippi experiendum est. Vaie.

EXPLANATIO

HODIE. hoc subaudi: Tecum de hortis, quos ab eo emere uellemus, loquetur. id. n. Atticus ad Ciceronem scripserat. Nec ego Brutum uito, & responderet ad alteram partem epistolae ab Attico acceptae: in qua ille, ut opinor, ita scripserat; mirari se, cum Brutum uitaret, a quo leuationem aliquam posset expectare. cui respondens Cicero, Nec ego, inquit, Brutum uito, nec tamen ab eo leuationem ullam exspecto. LEUATIONEM? doloris mei, ex interitu filiae suscepti. CAUSSAE in ijs, ne in senatum uenire necesse esset. EXCUSATIO? quod istuc non ueniam, ad eum amplectendum ex prouincia reuersum. ep. 16. CAPUT illud est, quod scis. & prima causa, cur hortos desiderem, illa est, quam tu scis, sanum uidelicet, cuius aedificandi scis consilium a me esse captum, & hortos ideo quaerere, ut celebri loco aedificetur. SEQUITUR, & c. altera causa, cur hortos uelit: Praeter sanum, mea etiam causa hortos quaero. mihi. n. ipsi quiddam opus est: hoc est, locum me oportet habere, ubi esse possim. In turba? Romae. neque Romae, inquit, esse possum, neque a uobis abesse, quod si hortos habebam, utrumque consequar, ut & Romae ne sim, & a uobis ne absim. abesse non uidebor, cum in hortis ero, qui urbem qua proxime sunt, & in urbe tamen non ero. ep. 31. l. 13. Nihil, inquit, aliud reperio, ubi & in foro non sim, & tecum esse possim. MIHI persuasum est, & c. acite significat, suum consilium ab Attico probari, consilium, inquam, urbis fugiendae. Persuasum: non. n. Atticus aperte scripserat, se probare Ciceronis consilium. ueritus fortasse, ne id Caesarem offenderet, si casus tulisset ut in alienas manus litterae deuenirent: sed ipse de Attici sensu coniecturam faciebat. Eo magis & c. eo magis mihi persuasum est, de hac re quid tui consilij sit, quod tibi quoque intelligo uideri idem quod mihi, me ab Oppio & Balbo ualde diligere. quasi dicit. Quando illi me tam ualde diligunt, abesse possum, illis concedentibus, nam alio qui offenderentur, & de hac absentia mea litteras fortasse ad Caesarem iniquiores mitterent, quod igitur intelligis, me ab Oppio & Balbo ualde diligere; eo magis mihi persuasum est, hac de re quid sentias. Si expediatur illud Faberianum? si debitam mihi a Faberio pecuniam exigo: quod facile consequar illis adiuuantibus, qui, Caesare concedente, omnia possunt. SINT igitur auctores? sententia non apparet, obscura a mendo. & quaequam adiuti coniectura quiddam uidemus: quia tamen id eiusmodi non est, ut omnes tenebras discutiat, praetermitto. libros ueteres adini, inspexi: nihil adiumenti, relinquo igitur, quod alii considerent. Tum enim & c. & c. connexa uerba cum superioribus. Neque patet sensus: sed conijcete possumus, hoc dici: Si Balbus & Oppius in expediendo nomine Faberiano adiutores esse noluerint; tum intelliges, exigendae a Faberio pecuniae nullam plane spem esse; & intelliges item, quid inclinent ad hoc meum consilium de sano adiuuandum. si enim nobis non fauebunt, id agentibus, ut hortorum emendatorum causa pecuniam a Faberio exigamus: certe intelligetur, nolle eos de emendis hortis, & de aedificando sano consilium a nobis captum adiuuare. Si quid erit, & a Balbo & Oppio studij & auxiliij ad Faberianum nomen explicandum. SIN minus & c. & c. si in exigenda a Faberio pecunia fautores non erunt, consilium tamen de hortis ideo ne omittamus, sed quacumque ratione enitamus. QUACUMQUE ratione & c. nam de Faberiana pecunia nequaquam erit cogitandum, Balbo, & Oppio non adiuuantibus. D

de Ostiensi, &c. } si non assequimur, ut Silianos hortos habeamus; quid agemus? de illo Ostiensi, hoc est de uilla, quam in Ostiensi habet Cotta, nihil est cogitandum: (forte, quia pusillum loci uidebatur, epist. 22. & 26.) Lamtam non puto posse adduci, ut hortos suos uendat: Damasippi experiendum est: subaudi, ut hortos habere possimus. & infra, epist. 32. Damasippum uelim aggrediare. de Lamianis autem hortis, epist. 22. & 26.

Cicero S. D. Attico. 29.

QUÆRO, quid ad te scribam: sed nihil est: eadem quotidie. Quod Lentulum inuisis, ualde gratum. pueros attribue ei, quot, & quos uidebitur. De Siliij uoluntate uendendi, & de eo, quanti; tu uereri uideris, primum ne nolis, deinde ne tanti. Sica aliter: sed tibi assentior. quare, ut ei placuit, scripsi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui uult: potes id mea uoluntate facere; commodiusq. id est, quam, quod ille a me petit, me ipsum scribere ad Clodium. De mancipijs Castricianis, commodissimū esse credo, transigere Egnatium: quod scribis te ita futurum putare. Cum Quia, quaeso, quidem ut conficiatur. Quoniam, ut scribis, nox erat, in hodierna epistola plura exspecto. Vale.

EXPLANATIO

QUOS, & QUOT? non omnes, sed quos & quot uidebitur. neque enim omnia mancipia Lentulo puero attribuenda erant ministerij causa. quae autem puero non attribuebantur, ea tamen illi operam nauabant, uel rure agro colendo, uel in officinis aliquo artificij genere occupata, uel alijs pretio locata: comprobatur quod supra diximus, Ciceronem Lentulo puero tutorem fuisse, qui ei de mancipijs, quae uideretur, & quot uideretur, attribueret. De Siliij &c. } scire Tullius auebat, num Silius hortos uellet uendere, & quanti uellet. cui Atticus rescribens, uereri se dixerat, primum ne Silius nollet uendere, deinde ne noller eo pretio, quo Tullius emere nolliisset. QUANTI? subaudi, uelit uendere. NE TANTI? uideris, inquit, uereri, ne Silius tanti nollet uendere, quanti nos uellemus. & dixit, Tanti, pro, tam paruo: quomodo etiam locutus est Coelius: cuius haec sunt uerba in epistola ad Ciceronem: Aut non erit istic bellum; aut tantum erit, ut uos, aut successores paruis additis copijs sustinere possint. & Caesar libro vi. his uerbis: Praesidij tantum est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. & lib. i. de bello ciuili: Tantum nauium reperit, ut anguste xv. milia legionariorum militum, & quingentos equites transportare possent. & ipse in epistola ad Cassium: Si quae, inquit, sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis; nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora; considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. Quibus ex locis aperte cognoscitur, in uoce, Tanti, non semper magnitudinem inesse. quod nos exemplis ideo probare uolumus, ne quis miretur, cur illud, Tanti, explanemus, tam paruo: quod fortasse cupiam durius alioqui uideretur. SICA aliter, } Sica aliter dixerat: Sica non idem dixerat, quod tu: sed tibi assentior, uerenti primum ne Silius nollet, deinde ne tanti. Sica autem dixerat, & uelle Silium uendere, & non magno uenturum. VI ei placuit } opinabatur Sica, Egnatij opera Silianos hortos haberi posse: itaque Cicero ni suaserat, ut ad illū scriberet. TRANSIGERE Egnatium } in epistola superiore locutus est de mancipijs Castricianis. quem si quis cum interpretatione nostra legerit, facile, quid hic significetur, intelliget. Transigere: conficere cum Castricio: efficere, ut Castricius a Quinto fratre pecuniam accipiat pro mancipijs, quae illi uendiderat: quam Castricius accipere uolebat; cum a Quinto mancipia mallet abducere, quando is pecuniā sibi ad praesentem diem non numerasset. CONFICIATUR. } curentur ei H-S C, quae debemus, supra epist. 21. & 22. Nox erat } Atticus in epistola sua ad Ciceronem hoc posuerat: Quoniam nox est, plura non scribo. Cui respondens Cicero, Quoniam, inquit, nox erat, & ideo breuius litteras misisti; ijs, quas hodie mittes, plura exspecto.

Cicero S. D. Attico. 30.

SILIUM mutasse sententiam, Sica mirabatur. equidem magis miror, quod cum in filium causam cōferret, quae mihi non iniusta uidetur; (habet enim qualem uult) ais te putare, si addiderimus aliud, a quo refugiat, cum ab ipso id fuerit destinatum, uēditurum. Quæris a me, quod summum pretium constituam; & quantum anteire istos hortos Drusi: accessi numquam: Coponianam uillam, & ueterem, & non magnam, noui; siluam nobilem, si uēdum autem neutrius: quod tamen puto nos scire oportere. sed mihi, utrius istorum, tempore magis meo, quam ratione, aestimandi sunt. possim autem assequi, nec ne, tu uicium cogites. si enim Faberianum uenderem, explicare uel repraesentatione non dubitarem, de Silianis, si modo adduceretur, ut uenderet: si uenales non haberet, transirem ad Drusum, uel tanti, quanti Egnatius illum uelle tibi dixit. magno etiā adiumento nobis Hermogenes potest esse in repraesentando. at concede mihi, quaeso, ut eo animo sim, quo is debeat

debeat esse qui emere cupiat. & tamē seruiō ita cupiditati, & dolori meo, ut a te regi uelim. Egnatius mihi scripsit. is si quid tecum locutus erit, (commodissime enim per eum agi potest) ad me scribes: & id agendum puto. nam cum Silio non uideo confici posse. P. Liciae, & Atticae salutem. Haec ad te mea manu uide, quaeso, quid agendum sit. Vale.

EXPLANATIO

SILIVM mutasse sententiam, Sica mirabatur, &c. § Silium nolle amplius hortos uendere, Sica mirabatur. ego autem eo magis miror, quod, cum ille dicat ideo se non uendere, quia filius nolit, ais tamen illum uenditurum, si nos praeter eum locum, quem ab ipso petijmus, alium petierimus, a quo refugiat, hoc est quem nolit uendere. **NON iniusta** § recte facit, si non uendit, quia filio uelit obsequi, roganti ne uendat; cum eum habeat, qualem uult, hoc est, plane ex animi sui sententia: ut reprehendendus nō sit, qui tali filio obsequatur. **SI addiderimus aliud** § si petierimus a Silio, ut alium locum nobis uēdat, non ut eum, quem antea petebamus. **A QVO refugiat** § a quo uendendo prorsus abhorreat: quem nulla condicione uelit uendere. **CVM ab ipso id fuerit** § cum is locus, quem addiderimus, ualde illius ere fuerit. tunc enim Silius locum antea nobis destinatum uendet, si petierimus ut alium, ipsi cariorē, uēdat. Recte igitur dixit Cicero, Miror, quod ais &c. nam, si hortos ideo Silius uendere non uult, quia filio cupiat indulgere: ne hoc quidem artificio, quo uti uis, adducetur ut uendat. Dixit autem, Conferret, potius, quam, Conferat, ut ostendat Silium ea excusatione usum fuisse non illis ipsis diebus, quibus haec scribebat, sed aliquanto ante. **QVO summum pretium constituam**, § quantum omnino pecuniae in hortos uelim impendere. **QUANTVM anteire istos hortos Drusi** § subintelligere, putem: hoc sensu: Quæris a me, quantum hortos istos Silianos anteire Drusi hortos putem, pretio uidelicet. **ACCESSI numquam** § numquam accessi ad hortos Drusi: quæ autem uilla ibi est, (Coponiana dicebatur, quod eam ante Drusum aliquis e Coponiorum gente possederat) eam noui, & eodem loco siluam nobilem. **NEUTRVS** § neque siluæ, neque uillæ, quem fructum Drusus capiat aut e uilla, aut e silua, competere non habeo; quod tamen, puto, nos scire oportet. Et hoc adscribit propterea quod una cum hortis & uillam, & siluam Drusus uendere cogitabat. **UTRVS istorum** § utrius hortos aestimem, uel Silij, uel Drusi; aestimare debeo, non quanti sint, sed quanti meum tempus postulare uideatur: hoc est, non ex ipsorum fructu mihi aestimandi sunt, sed ex meo tempore; quod eiusmodi est, ut hortos omnino uelim emere, de pretio non laborem. **UTRVS istorum**: aestimandi sunt. **POSSIM autem assequi** § possum hortos emere. **COGITES** § potes enim hoc uel facile cognoscere; cum mea nomina tractes, & uidere possis, eoque sit spes pecuniae a nostris debitoribus exigendae: quod ego absens non possum: itaque tu hoc uelim cogites. **FABERIANVM** § nomen Faberianum: quod mihi a Faberio debetur, cum enim debitam sibi a Faberio pecuniam exigere Cicero non posset, nomen illud alicui uendere cogitabat, ut praesentem pecuniam haberet ad emptionem hortorum. **EXPLICARE uel repraesentatione non dubitarem** § non dubitarem hortos emere, uel si repraesentandum sit: hoc est, uel si pretium nunc enumerandum sit, nulla temporis dilatione. Est enim, Repraesentare; quod aliquando futurum est, id praecipere, ut, nulla interposita mora, statim fiat. Quoniam autem constituerat ita hortos emere, ut partem pecuniae solueret, reliquæ pecuniae usuram penderet: (quod ipse ostendit epist. 21. & 24.) nunc, si Faberianum nomen possit uendere, dicit se non cogitare de die, neque solutionis tempus uelle differre, sed repraesentaturum, hoc est non expectaturum diem, quam constituerat, uniuersumque pretium statim persolurum. **DE Silianis** § ad, Explicare, refertur. **TRANSIREM ad Drusum** § emerem a Drulo. **MAGNO etiam &c** § adiuuabit enim repraesentationem Hermogenes, si soluet nobis H. S. D. C. quæ debet, unde illud ep. 24. **H. S. D. C.** exprimes ab Hermogene, cum praesentem necesse erit. **DOLORI meo**, § ex interitu filiae suscepto. **REGI** § fortasse ego, cupiditate, & dolore prolapsus, hortos pluris emerem, quem quantum aequum esset: itaque nolo a te regi. **LOCUTVS erit** § de Drusi hortis. Supra ibidem: Transirem ad Drusum uel tanti, quantum illum Egnatius uelle tibi dixit. **Id agendum puto** § ad hortos Drusi spectare debemus. nam cum Silio non uideo confici posse. **Agendum**: curandum, cogitandum. **QVID agendum sit** § de tota hac re, id est de hortorum emptione.

Cicero S. D. Attico 31.

PVELLILIA ad me scripsit, matrem suam cum Publilio loqui, eam ad me cum illo uenturam, & se una, si ego paterer, orat multis, & supplicibus uerbis, ut liceat, & ut sibi rescribam, res quam molesta sit, uides, rescripsi, me etiam grauius esse affectum, quam tū, cum illi dixissem, me solum esse uelle; quare nolle me hoc tempore eam ad me uenire, putabam, si nihil rescripsissem, illā cum matre uenturam: nunc non puto, apparibat enim illas litteras non illius esse, illud autē, quod fore uideo, ipsum uolo uitare, ne illae ad me ueniant, & una est uitatio: & ego nollem: sed necesse est, te hoc nunc rogo, ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar, ages, ut scribis, temperate. Cicero nō uelim hoc proponas, (ita tamen si tibi non iniquum uidebitur) ut sumptus huius peregrinationis (quibus, si Romae esset, domumque conduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat) accommodet ad mercedem Argiletū, & Auentim, & cum ei proposueris, ipse uelim

im reliqua moderere, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei quod opus sit, praestabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur, itaque uelim uideas, primum,

conductores qui sint, & quanti; deinde, ut sit, qui ad diem soluat; & quid uia tibi, quid instrumenti satis sit, iumento certe Athenis nihil opus sit, quibus autem in uia utatur, domi sunt plura. quam opus erat: quod etiam tu animaduertis. Vale.

EXPLANATIO

PUBLILIA & altera Ciceronis uxor, quam, post Terentiae diuortium, uirginem duxit, cum qua & ipsa postea diuortium fecit, quia lactari Tulliolae morte uidebatur. Plutarchus in Cicerone, Quintilianus l. 6. Dio lib. 46. **P**UBLILIO & fratre Publiliae, Ciceronis uxoris nam mulieres familiae nomine appellabantur. **A**FFECTVM & dolore, quem ex obitu filiae capiebat. **N**ON *illius esse* & apparet, a matre scriptas, aut dictatas. **Q**UOD *fore uideo* & uideo fore, ut omnino ueniant: ego autem hoc uolo uitare. **V**NA *est uisatio: & ego nullo* & una tantum ratione uitare possum, ne illae ad me proficiscantur; si ego istuc ad ipsas ueniam: quod nollem: sed necesse est, quando haec est una uisatio. In fra clarius his uerbis. Cum scribas, uidentium mihi esse, ne opprimar; ex quo intelligam, te certum illius professionis diem non habere: putauit esse commodius, me istuc uenire. **N**e *opprimar.* & a Publilia, & matre, & hoc dicit, quia, si scisset, quo die illae Roma profecturae essent, ut ad se uenirent; ipse ante illum diem Romam ad eas proficisci potuisset: quod facere cogitabat. **N**e opprimar: ne ueniant cum de illarum aduentu nihil suspicer. **C**ICERONIS & filio. **S**i *tibi non iniquum* & fortasse enim tibi uidebitur, plus ei dandum esse, quam quod ex mercedibus Argilei & Auentini recipietur. sed, si tibi non iniquum uidebitur, hoc est, si putas cum his mercedibus contentum esse debere; propone ei, ut sumptus huius peregrinationis ad eas mercedes accommodet. **P**EREGRINATIONIS & Cicero filius Athenas iturus erat studiorum causa. **D**ic, inquit, filio, me pro sumptu, quem Athenis facturus est, tradere ei mercedem Argilei, & Auentini. **S**i *Romae esset.* & c. & ut Athenis tantos sumptus faciat, quantos Argilei, & Auentini mercedes ferre poterunt, quibus sumptibus, si Romae uiueret, conducta etiam domo, contentus futurus erat: quanto magis, Athenis? **A**RGILETI, & *Auentini* & in Argileto, & Auentino locare uolebat Cicero in insulas quaedam, eamque mercedem assignate filio Athenas proficiscenti, epist. 10. lib. 9. & 4. lib. 6. **M**ODERERE & tractes quod attinet ad hanc locationem: uideas, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei, quod opus sit; hoc est, quod infra ostendit, conductores qui sint, & quanti; deinde, ut sit, qui ad diem soluat. **N**ec *Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam.* Calpurnium Bibulum, Manlium Acidinum, Valerium Messallam. hos adulescentes Athenas profecturos studiorum causa Cicero audierat. **C**ONDUCTORES *qui sint, & quanti* & qui uelint conducere eas tabernas, aut domos, quas in Argileto, & Auentino uolumus locare. **Q**uanti: quanti uelint conducere.

Cicero S. D. Attico. 32.

EGO, ut heri ad te scripsi, si & Siluis is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se praebuerit, Damaspum uelim aggrediare. is, opinor, ita partes fecit, in ripa nescio quotenorum iugerum, ut certa pretia confluere, quae mihi nota sunt, scribes ad me igitur, quid

quid egeris; uehementer me sollicitat. Atticae nostrae ualeudo; ut uerear etiam, ne qua culpa sit, sed & paedagogi probitas, & medici assiduitas, & tota domus in omni genere diligens me rursus id suspicari uetat. cura igitur plura enim non possum. Vale.

EXPLANATIO

IS *fuerit, quem tu putas,* & difficilis in hortis uendendis. **A**GGREDIARE & ut mihi hortos uendat. **R**IPA & Tiberina. nam hortos Transiberinos quaerebat Cicero, ut celebri loco sanum exstrueret. **Q**UOTENORVM *iugerum* & Damaspus suos hortos in partes diuiserat: & qualibet parte nescio quotena iugera continebantur, certo cuiusque partis pretio. **P**LURA *enim non possum,* & de hoc ad te scribere; cum & de paedagogo, & de medico, & de tota domo, mihi certum sit.

Cicero S. D. Attico. 33.

EGO hic uel sine Sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis: sed, cum scribas uidentium mihi esse, ne opprimar; ex quo intelligam, te certum illius professionis diem non habere; putauit esse commodius, me istuc uenire, quod idem uideo tibi placere, cras igitur in Sicae suburbano: inde, quem

admodum suades, puo me in Ficulensi fore, quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse nonis coram uidebimus. tuam quidem & in agendis nostris rebus, & in consilijs meundis, mihiq. dandis, in ipsis litteris, quas mittis, beneuolentiam, diligentiam, prudentiam mirice diligo.

EXPLA-



EXPLANATIO

Vel sine Sica ꝛ cuius consuetudine delectabatur: itaque epist. 25. Niciam, inquit, uellem mecum habere. sed mihi solitudo & recessus prouincia est: quod quia facile ferebat Sica, eo magis illud desidero. **TIRONI enim melius est:** ꝛ causa, cur sine Sica possit esse. Tironem, inquit, mecum habeo, qui iam prope conualuit. **FACILLIME** ꝛ libenter: ut illud in epistola ad Coelium: In maritimis facillime sum. Et libro II. de oratore: Et dici ornatissime possunt, & audiri facillime. Et ad hunc ipsum in sequenti libro: Locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturac. Et Terentius in Heaur. Dabo tibi puellam lepidam, quam facile ames. **OPPRIMAT** ꝛ subito aduentu Publiliae, uide supra epist. 15. lib. II.

Cicero S. D. Attico.

34.

Tamen, si quid cum Silio, uel illo ipso die, quo ad Sicam uenturus ero, certiore me uelim facias, & maxime cuius loci detractionem fieri uelit. quod enim scribis, extremi, uide; ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re, ut scis est, a nobis cogitatum. Hirti epistolam tibi misi, & recentem, & beneuole scriptam. Ante, quam proxime discessi, numquam mihi uenit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur tantundem populo dandum esse: quod non magnopere moueret, nisi nescio quo modo, ἀλλ' ὅπως fortasse, nollem illud ullo nomine, nisi fani, appellari. quod si uolumus, uereor, ne assequi non possimus, nisi mutato loco. hoc quale sit, quaeso considera. nam etsi minus urgeor, neque ipse propemodum collegi: tamen indigeo tui consilii, itaque te uehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me uis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto petere amplectare. Uale.

EXPLANATIO

Tamen, ꝛ quamquam, inquit, breui te uidebo: tamen, si quid de hortis cum Silio confeceris uel illo ipso die, quo ad Sicam uenturus ero; certiore me uelim facias. **AD SICAM** ꝛ in eius suburbano. **DETRACTIONEM** ꝛ cum Silius dixisset, hortos suos se esse uendituros, sed uelle quandam locum excipere. uide, inquit Cicero, ne uelit eum ipsum locum excipere in uenditione hortorum, cuius loci causa hortos ipsos emere cogitamus. **DETRACTIONEM:** exceptionem. **EXTREMI** ꝛ extremi loci, extremorum hortorum, extremae partis hortorum. **DE TOTA RE** ꝛ de hortis Silij emendis. **UT SCIS** ꝛ scis tu qua in parte hortorum fanum aedificare constituerim: itaque, si eam ipsam partem Silius in uenditione uellet excipere; cur hortos emeremus, causa non esset. **HIRTI EPISTOLAM** ꝛ forte consolatoriam in morte Tulliolae. **RECENTEM** ꝛ ex Hispania, ubi erat Hirtius cum Caesare, & puto eam esse, de qua ep. 26. & epist. 6. lib. 16. Reghini quidam eo uenerunt, Roma sane recentes. & Phil. 1. Municipes Reghini complures ad me uenerunt, ex his quidam Roma recentes. **QUOD LEGE CONCEDITUR** ꝛ lex erat, quae sumptum sepulcrorum praefinebat. supra eum sumptum si quis in sepulchrum impendisset, tantundem populo ut daretur, iuebat. **QUOD NON MAGNOPERE MOUERE** ꝛ quasi dicat: Si uellem sepulchrum filiae facere, facerem operosissimum, & magnificentissimum; neque me in hoc moueret poena legis: sed fanum fieri uolo, non sepulchrum; idque, non tam propter legis multam, (nam haec me minus moueret, si de sepulchro cogitarem) quam ut locus, quasi consecratus, sempiternam religionem obtineat. Hoc aperte paullo post his uerbis: Fanum fieri uolo: neque hoc mihi erui potest: sepulchri similitudinem effugere non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθεωσιν. Recte: quod enim fani nomine appellatur, religionem habet, quod sepulchri, non item. **APPELLARI** ꝛ supra, epist. 19. lege quae diximus ad illud, Quasi consecratum. **NISI MUTATO LOCO** ꝛ constitueramus fanum in hortis Transiberinis facere: sed mutandus locus est, si assequi uolumus, ut fani nomine appelletur. in hortis enim si faceremus, ubi multa multorum sunt sepulchra; sepulchrum & ipsum uideretur esse, sepulchriq. nomine potius appellaretur, quam fani. **MINVS URGEOR** ꝛ dolore amissae filiae

Cicero S. D. Attico.

35.

FANVM fieri uolo; neque hoc mihi erui potest: sepulchri similitudinem effugere, non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθεωσιν: quod poteram, si in ipsa uilla facerem: sed, ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. in agro ubicumque fecero, mihi uideor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. haec meae tibi inepitiae (satebor enim) ferendae sunt. non habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quam te. si tibi res, si locus, si institutum placeat, lege, quaeso, legem, mihiq.

mihique eam mitte. si quid in mentem ueniet, quo modo eum effugere possimus; utemur. Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quod in Cuma non esse noluerit propter eam causam, quam tibi dixi cogitanti enim mihi, nihil tam uidetur potuisse facere rustice. Et, si tibi placebit sic agere de fano, ut coepimus; uelim cohortere & exacuas Cluatium. nam etiam si alio loco placebit; illis nobis opera, consilioque utendum puto. Tu ad uillam fortasse cras. Vale.

EXPLANATIO

ERVI hoc mihi non potest ex animo euelli. PROPTER poenam legis hoc poena erat, ut, quo quis in sepulcrum plus insumpsisset, quam nescio quid quod lege concedebatur; tantundem populo daret. supra, ep. 34. COMMUTATIONES dominorum hoc ep. 19. de eadem re sic. In eunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum illud, quasi consecratum, remanere possit, quo in loco uide non stram interpretationem. UT posteritas habeat religionem hoc ut posteri illud cum religione conseruent. quod in uilla fortasse non facerent: in qua fanum aedificatum nescio an eadem religione tuerentur. fors enim ex fano rursus uillam facerent studio habitandi. RES, locus, institutum hoc ut fanum fiat, ubi fiat, quale fiat. explano enim, Institutum, fani genus a nobis designatum. nam & supra, ep. 18. ubi plane idem dicit, Neque, inquit, de genere dubito; placet enim mihi Cluatij, neque de re; statutum est. n. de loco non numquam. EAM effugere hoc ne in legis poenam incidamus, si pecuniae plus in hoc monumentum erogabimus, quam quod lex concedit. Si tibi placebit sic agere &c. hoc coepimus agere de fano aedificando: nescio, an idem consilium tibi placeat, ut scilicet fanum filiae faciam pictatis ergo: sed, si placet, cohortare & exacuas Cluatium architectum, ut in hac re suo nos consilio iuuare uelit.

Cicero S. D. Attico. 36.

AT heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilario, alteram eodem die tabellario: accepique ab Aegypto litteras eodem die, Piliam, & Atticam plane belle se habere. tuae litterae mihi redditae sunt tertio decimo die. Quod mihi Bruti litteras, grati ad me quoque misit, eam ipsam ad te epistolam misit, & ad eam exemplum mearum litterarum. De fano, si nihil mihi hortorum inuenis; qui quidem tibi inueniendi sunt, si me tanti facis, quanti certe facis; ualde probo rationem tuam de Tusculano. quamuis prudens ad cogitandum sis, sicut es: tamen, nisi magnae curae tibi esset, ut ego consequerer id, quod magnopere uellem, numquam careres tibi tam belle in mentem uenire potuisset. sed nescio quo pacto celebritatem requiro: itaque hortos mihi conficias, necesse est. maxima est in Scapulae celebritas, propinquitas praeterea ubi sis, ne totum diem in uillam quare, antequam discedit, Othonem, si Romae esset, conuenias peruelim. si nihil erit, etsi tu meam stultitiam consuesisti ferre, eo tamen progrediar, ut mihi stultitiam machere. Drusus enim certe uendere uult. si ergo aliud erit, non mea erit culpa, nisi emeris: qua in re ne labar, quaeso prouide. prouidendi autem una ratio est, si quid de Scapularis possumus. Et uelim me certiore facias, quam diu in suburbano sis futurus. Apud Terentiam gratia opus est nobis, tuaque auctoritate. sed facies, ut uidebitur. scio enim, si quid mea intersit, tibi maiori curae solere esse, quam mihi. Hirtius ad me scripsit, Sex Pompeium Corduba exisse, & fugisse in Hispaniam citriorem, Cnaeum fugisse nescio quo: neque enim curo: nihil praeterea. noui litteras Narbone dedisse xiv. Kal. Mai. Tu mihi de Caninij naufragio, quasi dubia re, misisti. scribas igitur, si quid erit certius. Quod me a maestitia auocas, multum proficies, si locum fano dederis. multa mihi eius aetate in mentem ueniunt: sed loco ualde opus est. quare etiam Othonem uide. Vale.

EXPLANATIO

AD uillam hoc in suburbano. nam infra, Velim certiore me facias, quam diu in suburbano sis futurus quo se conrult rationum causa. deinde easdem rationes cogitauit se posse Romae conficere, si se domi includeret: itaque in urbem redijt. ep. 42. & 43. Tuae litterae mihi redditae sunt tertio decimo die. hoc totum librarius, aut quicumque ille fuit, qui Ciceronis epistolas retulit in uolumina, translatum ex alia epistola, per ignorantiam hic intexit, cum enim Cicero esset in Antiati, Atticus Romae, uel in suburbano; simile ueri non est, tredecim dies eum, qui Attici litteras tulit, tantulo in itinere consumpsisse. sed esto: consumpsit nec opinata re impeditus: quid? non hanc tarditatem Cicero tenni saltem significatione attigisset? at ne litteram quidem posuit, itaque redeo ad illud, membrum esse ex alia epistola, translatum in hunc locum ignorantia eorum, qui Ciceronis epistolas in unum congererunt. BRUTI litteras hoc ad Atticum scriptas. RATIONEM tuam de Tusculano. hoc consilium tuum, ut fanum in Tusculano faciamus, si in hortis non possumus. epist. 42. & 43. CELEBRITATEM hoc ut fanum celebri loco fiat. celebriores autem horti, quam Tusculanum, utpote qui propius urbem essent. IN Scapulae hoc subintelligitur. hortis: ut illud, epist. 42. Ex Apollodori puto posse inueniri: subaudi, hortis. Scapula hic decefferat, relictis aliquot heredibus: a quibus, Cicero sperabat fore, ut uenirent

Qq horri

horti Scapulani. PROPINQUITAS praeterea, ubi sis & praeter celebritatem hoc habent commodi, quod proxime Romam sunt. Vbi sis & ubi sine incommodo esse possis: ut in ijs facile esse possis. Ne totum diem in uillam & ne totum diem ponam, in uillam proficiscens; ne mihi semper totus dies sit in itinere consumendus, animi causa dum ad uillam me confero. quasi dicat: Si quando urbis satietas me capiat, ad aliquam mearum uillarum ire soleo: quae ita longe absunt, ut totum diem in uia ponam, quod si Scapulae hortos habebō; libentius in hortos exibo propter propinquitatem. eodem loquendi genere supra usus est, cum dixit: Itinera ita facit, ut multos dies in opidum ponat, epist. 18 lib. XI. OTHONEM unum ex ijs, quos Scapula heredes reliquerat. Si nihil erit, & si nihil erit, quod emamus; tibi tamen non desinam molestus esse, ut aliquid inuenias, usque eo, ut meam stultitiam stomachere. Deinde incipit molestus esse, & infert: Drusus enim certe uendere uult: ut tua culpa futura sit, si nihil emamus: quid quidem uenales certe sunt horti Drusiani. Si ergo aliud erit & si, praeter Drusi hortos, aliquid inuenimus, quod uenale sit; id nisi emero, nō mea erit culpa, sed tua, nam ego quidem, quod ad me attinet, saepissime te admonebo. Drusianos autem hortos Atticus minus probabat: itaq. aliud quaerebat. Paulo infra: De Drusi, inquit, hortis, quamuis ab ijs abhorreas, ut scribis; tamen eo confugiam, nisi quid inuenieris. Ne labor & ne, prolapsus cupiditate, multo pluri emam, quam quanti sint. Supra ep. 30. Cede, inquit, mihi, ut eo animo sim, quo is debeat esse, qui emere cupiat. & tamen seruius ita cupiditati, & dolori meo, ut a te regi uelim. PROVIDENDI autem una ratio est, si quid de Scapulanis possimus & quaerit aliquis causam, cur haec una sit prouidendi ratio. respondeo sic: quia sperabat fore, ut Scapulanis horti in auctione uenirent, quod si ita esset, labi non poterat, neque eos multo pluri emere, quā quanti essent. itaq. infra, epist. 39. De hortis, inquit, Scapulanis hoc uidetur effici posse, aliud tua gratia, aliud mea, ut praconi subijciantur, id nisi sit, excludemur. APUD Terentiam & c. Terentiam iam dimiserat: quippiam fortasse nunc significat de dote reddenda. CORDUBA exisse, & hac de re Hirtius lib. 6. commentariorum, haud ita procul ab extremo. NESCIO quo & Carceiam: ut auctor est idem Hirtius lib. 6. comm. fere in extremo. CANINI naufragio & de quo etiam epist. 43. his uerbis: Volo etiam scire de naufragio Caniniano quid sit. & ad consecrationem filiae. ETIAM Othonem uide & etiam: quasi, iterum: nam dixerat iam, Othonem conuenias peruelim. iterum, inquit, te admoneo de Othone conueniendo. nam, Vide, ualet conueni, & alloquere. ut illud libro 4. epist. 12. Grauitate acturum cum Aquillio, confirmauit. uidebis ergo hominem. Et 1. 12. epist. 14. Septimium uide. Et ibidem: Appuleium praediatorem uidebis.

Cicero S. D. Attico 37.

NON dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum, sed homo nequam, qui tuum commodum non expectarit, cum ob eam unam causam missus esset. nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspirio esse in suburbano. at ego hic, scribendo dies totos, nihil equidem leuor, sed tamen aberro. Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato, quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. ferrem grauitate, si nouae aegrimoniae locus esset. sed tamen quid impurius eo hominem cauendum: quamquā quidem. sed tenendus dolor est. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si uacabis. Quod putas oportere prouideri iam animi mei firmitatem, grauiusque quosdam scribis de me loqui, quam aut te scribere, aut Brutum: si, qui me fractum animo, & debilitatū putant, sciant, quid litterarum, & cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, siue ita leuatus sim, ut animum uacuum ad res difficiles scribendas asferam, reprehendendum non esse & siue hanc aberrationem a dolore delegrim, quae maxime liberalissima, doctiq. homine dignissima, laudari etiam oportere. sed, cum ego faciam omnia, quae facere possim ad me adiuuandum, tu effice id, quod uideo te nō minus, quam me, laborare. hoc mihi debere uideor, neque leuari posse, nisi soluero, aut uidero me posse solueri, id est locum, qualem uolo, inuenere. Heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor facerent, liceri cogitant: nihil est scilicet emptori loci. sin ueniant: quid fieri possit, uidebimus. nam ille locus publicatus, qui est Trebonij, & Cusini, erat ad me allatus, sed seis aream esse. nullo pacto probo. Clodiae sane placent; sed non puro esse uenales. De Drusi hortis, quamuis ab ijs abhorreas, ut scribis; tamen eo confugiam, nisi quid inuenieris. aedificatio me non mouet. nihil enim aliud aedificabo, nisi id, quod etiam si illos non habuerim. & pro mihi sic placuit, ut cetera Antisthenis, hominis acuti magis, quam eruditi. Vale.

EXPANATIO

OSTRO cognato. & fratris mei, & sororis tuae filio. qui erat in Hispania cum Caesare aduersus Pompeij liberos bellum gerente, & Ciceroni patruo detrahebat. fuisse autem in Hispania, constat non solum ex proxime sequentibus uerbis, sed etiam ex illis ep. 8. Cum a fratre familiaritate & omni gratia uinceretur. DOLABELLA obscure, & manifestum est, subintelligi uerbum, scripsit. scripsit autem ex Hispania. nam ei bello interfuit, ut aperte indicat illud 11. Philippica: Ter depugnauit Caesar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus his pugnis affuit Dolabella, in Hispania etiam uulnus accepit. Postea, cum in Italiam reuertisset, coram de Quincti maledictis & iniurijs cum Cicerone

Cicerone locutus est. epist. 9. lib. 13. **FIRMITATEM**, & nam imbecilliore animo uidebatur esse, qui filiae mortem tam diu lugeret. Quod putas, inquit, cogitandum mihi iam esse de animi mei firmitate. **ADIVVANDVM**; tu effice & c. & adiuuandum: dolore liberandum: quippe qui etiam consolatorium librum scripsit ad se ipsum. **Effice**: ut hortos habeam, ut, erecto monumento, filiam consecrare possim. **Hoc mihi debere uideor** & uideor fanum filiae debere, neque posse liberari, nisi id, quod debeo, soluero. Idem supra, Quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto. ep. 18. & 42. **QVALEM uolo** & mihi appositus uideatur ad filiam consecrandam. **ISTOS hortos** & Scapulanos. **PARTIBVS quattuor factis, licet cogitant** & quattuor enim erant coheredes, Otho, Mutella, Crispus, Virgilius. ep. 42. h. lib. & 3. lib. 13. **PUBLICATVS** & ut publice uendatur. Et quod addit, Qui est Trebonij, & Culinij: tū non erat, sed futurus: sicut & hortos Scapulae appellat, iam mortui. **ERAT ad me allatus** & optio mihi delata est emendi. **Scis aream esse** & scis in eo aedificati nihil esse, quo maiore impensa fanum esset exstruendum. nam, si aedificati aliquid esset, ueteris aedificij materia ad fani constructionem utens, sumptum facerem multo minorem. **PLACENT** & horti. **AEDIFICATIO** & scribis, te abhorre a Drusi hortis, quod minor in ijs, quam tu uelles, aedificatio sit. id, inquit Cicero, me non mouet, nam ego nihil ibi cogito aedificare praeter fanum: quod omnino aedificaturus sum, etiam si illos non habuero. aedificationem autem uoluisset Atticus esse maiorem in hortis Drusi, ut in fanum deinde minus infunderetur; quippe quod ex ipsa aedificatione fieri posset, impensa multo minore, quam si materia fieret importata.

Cicero S. D. Attico. 38.

TABELLARIVS cum ad me sine litteris tuis uenisset, existimaui, tibi eam causam non scribendi fuisse, quod pridie scripsisses ea ipsa, ad quae rescripsi hac epistola. expectaram tamen aliquid de litteris Asininij Pollioij. sed nimium ex meo otio tuum specto. quā quam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris ualde otiosus. De tabellarijs facerem, quod suades, si essent illae necessariae litterae, ut erant olim, cum breuioribus diebus, tamen quotidie respondebant tempore tabellarij. & erat aliquid, Silius, Drusus, alia quaedam nunc, nisi Otho exstiuisset, quid scriberemus, non erat. id ipsum dilatum est: tamen alleuor, cum loquor tecum absens, multo etiam magis, cum tuas litteras lego. sed quoniam, & abes; (sic enim arbitror) & scribendi necessitas nulla est, conquiescent litterae, nisi quid noui exstiterit. Vale.

EXPLANATIO

SUADES & suades, ut certos tabellarios instituam. **RESPONDEBANT tempore** & ibant, redibant ad utrumque nostrum, ea ipsa, qua expectabantur, hora. **ERAT aliquid & c.** & erat quod scriberemus de Silio, de Druso, alijs praeterea de rebus. **ID IPSVM dilatum est** & scribere solebamus de Othone, id est de hortis Scapulanis. nunc etiam hoc argumentum litterarum ad aliquod tempus est ereptum. abes enim, (erat autem in suburbano, ut patet ex ep. 36.) & Othonem, qui Romae est, de hortis colloqui non potes. ita sequitur, ut nec scribere de eo quidquam possis, donec in urbem redieris. **TAMEN alleuor** & etiam ad scribendum argumenti nihil habeo, quando id ipsum de Othone dilatum est: scribo tamen, quia doloris acerbiter minus sentio, cum tecum quasi loqui uideor.

Cicero S. D. Attico. 39.

QVALIS futura sit Caesaris uituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtnus ad me misit, in quo colligit uitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. itaque misi librum ad Muscam, ut tuis librarijs daret. uolo enim eum divulgari: quod quo facilius fiat, imperabis tuis. συμφορὰ ἀδελφῶν saepe conor: nihil reperio: & quidem mecum habeo & Ἀριστέλους, & Θεοπόμου πρὸς Ἀλέξανδρον: sed quid simile? illi, quae & ipsis honesta essent, scribebant, & grata Alexandro. ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem uenit. Quod scribis te uereri, ne & gratia, & auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur: ego, quid homines aut reprehendant, aut possulent, nescio. ne doleam? qui potest? ne iaceam? quis unquam minus? dum tua me domus leuabat, quis a me exclusus? quis uenit, qui offenderetur? Asturam sum a te profectus. legere isti laeti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi. quam bene, nihil ad rem. sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecit. Eo animo facere posset. triginta dies in hortis sui, quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desiderauit? nunc ipsum, ea lego, ea scribo, ut ijs, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem. si quis requirit, cur Romae non sim: quia discessus est: cur non sim in his meis praediolis, quae sunt huius temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Baiae habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. cum Romam uenero, nec uultu, nec oratione reprehendar. hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. constantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc uidetur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, ut praeconi subijciantur, id nisi fit, excludemur. sin ad tabulam uenimus, uincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nam quod ad

Q 9 2 me

me de Lentulo scribis, non est in eo. Faberiana modo
res certa sis, inq. enitare, quod facis: quod uolumus,
consequemur. Quod quaeris, quam diu hic paucos dies:
sed certam non habeo: simul ac consiliuaro, ad te scri-
bam: & tu ad me, quam diu in suburbano sis futu-
rus. quo die ego ad te haec misi, de Pilia, & Attica
mibi quoque eadem, quae scribis, & scribuntur, &
nunciantur. Vale.

EXPLANATIO

CAESARIS utuperatio } liber a Caesare scriptus contra Catonem, Ciceronis libro laudatum. Infra
ep. 40. Hirij epistola quasi *επιπλομα* uidetur eius utuperationis, quam Caesar scripsit de Cato-
ne. Laudationem tuam Cicero inscripsit, Cato; utuperationem Caesar, Anticatores. **PERSPEXI** ex
libro } ex Hirij libro contra Catonem scripto conijciebat Cicero, qualis esset futura Caesaris utuperatio.
cum enim in suo libro Hirij colligisset uitia Catonis, sed cum maximis Ciceronis laudibus; Cae-
sar autem eum librum uidisset, (neque enim aliter putandum est; cum Hirij cum Caesare esset, in His-
pania bellum gerente) magno id erat argumento, eas Ciceronis laudes Caesarem probasse, alioqui exi-
te librum passus non esset; neque Hirio permisisset, ut ad Ciceronem mitteret. ex eo coniecturam Cice-
ro capiebat, Caesarem acerbius in se nihil scripsisse in suo libro, cuius laudes in alieno probasset. *οὐδὲν
λευτιῶν* saepe conor: } saepe conor aliquid ad Caesarem scribere de ordinanda republica. *αὐτοβουλευτικός*,
consilij plenum, quod deliberationem contineat. **EIVSMODI** } nam, si dixerō, quae mihi honesta sint;
illi grata non erunt: rursus si, quae illi grata; mea persona minus digna uidebuntur. **DVM** tua me domus
leuabat, } si, dum tuae domi fui, nemo est a me exclusus; nemo umquam ad me uenit; quin comiter &
& humaniter acciperetur: quid est, cur me quisquam dicat dolore uictum iacere? quando neque, dum
apud te fui, quem quam seuerius accepi; neque, dum A. Sturae, cessaui, sed & multa scripsi, & eius gene-
ris, quod certe abiecto animo facere nemo posset. **LEUABAT** } delectabat. nam domi tuae Cicero non
sine summo dolore potuisset esse, quae memoriam auissae filiae repraesentaret. eademq. causa Tullen-
ianum, quasi admonitionem Tulliolae, refugiebat: ut infra epist. 44. **NVNC** ipsum } similiter locutus est
epist. 3. lib. 7. & 9. lib. 8. & 16. lib. **DISCESSVS** } post xvi. Kal. Februarij, senatores plerique Roma disce-
debant: quod senatus reliquis Ianuarij diebus per legem Pupiam haberi non poterat, ac ne Februario
quidem toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. **Ad Appium** lib. 3. iam. In ipsam discessionem senatus
incidisse credo meas litteras. **Huius temporis** } apti ad oblectandū. hilaritatis enim tempus illud erat,
quo senatores, laxati a curis, animi causa exibat. **Is, qui optimas Baias habebat** } qui se tamen huc, suis
Baiis omissis, quotannis conferebat; quod hunc recessum amaret, Baianam illam frequentiam fugeret,
quem significet, diuinate non facile est. **ALIUD** tua gratia, aliud nostra, } partim tua gratia, partim no-
stra. **EXCEVDEMVR** } uerebatur, ne heredes Scapulae hortos Scapulasos praeconi non subicerent, sed
ipsi inter se licerentur, omnibus exclusis. Si igitur, inquit, praeconi non subijciuntur, ego excludor, & in-
pra ep. 37. Heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quatuor factis li-
ceri cogitant, nihil est scilicet emptori loci. **SIN** ad tabulam uenimus } sin praeconi subijciuntur, & au-
ctio fiet. nam, Tabulam, posuit pro auctione; quod auctiois signum tabula figebatur. **In oratione** pro
Caecina, Aebutio, inquit, negotium datur, adest ad tabulam, heetur Aebutius. **Othonis** } Scapulae
heredis, qui & ipse ad hororum emptionem animum adiecerat. Quamquam, inquit, locuples sit Otho:
tamen mea cupiditas efficiet, ut eum in auctione uincam. **infra ep. 42.** De Othone; diffido, fortasse quia
cupio: sed tamen maior etiam res est, quam facultates nostrae, praefertim aduersario & cupido, & lo-
cuplete, & herede. & epist. 46. **Difficile** certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede. & ep. 29. Si Fa-
berius nobis nomen illud explicat: noli quaerere, quam Othonem uincas uolo. **De Lentulo** & c. } quod
scribis, uidentum esse, ut a Lentulo exigamus: res in eo non est: id parui refert: magis laborandū de pe-
cunia Faberiana: quam si exigimus, quod uelim enitare, consequemur quod uolumus, ut hortos habea-
mus. Faberiani nominis cum alibi supra, tum ep. 28. mentionem facit his uerbis. Cum ijs communices,
quantopere, & quare uelim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum.

Cicero S. D. Attico 40.

Nihil erat, quod scriberem: scire tamen uole-
bam, ubi esses: si abes, aut absuturus es, quando
rediturus esses. facias igitur me certiore. Et quod tu sci-
re uolebas, ego quando ex hoc loco: posttridie iduum La-
nuuij consilij manere, inde posttridie in Tusculano, aut
Romae, utrum sim facturus, eo ipso die scies. Scis, quam
sit *εὐχάριστη* *συνομιλία*, minime in te quidem: sed tamen
auidem sum affectus de sano: quod nisi, non dico, effectum
erit, sed fieri uidero: audebo hoc dicere, & tu, ut soles,
accipies: incurrabit in te dolor meus, nō iure ille quia,
sed tamen ferēs hoc ipsum, quod scribo, ut omnia me
fers, ac tulisti. omnes tuas consolationes unam hanc
rem uelim conseras. si quaeris, quid optem: primum Sci-
pulae, deinde Clodiae, postea, si Silius uolet, Drusij
aget iniuste, Cusum, & Trebonij. puto Terentium esse
dominum, Rebilum fuisse certo scio. **Sm** autem tibi Tu-
sculanum placet, ut significasti quibusdam litteris: tibi
assentiar. hoc quidem utique perficies, si me leu-
rius; quem iam etiam grauius accusas, quam patienti-
ua consuetudo: sed facis summo amore, & mitas
fortasse

fortasse ante meo; sed tamen se me locuti vis, haec sum
 matione, vel, si uerum scire uis, uia. Hirti, episto-
 lam si legeris, quae mihi quasi πρὸ τῆσδε μα uideretur eius
 uituperationis, quam Caesar scripsit de Catone; facias
 mo, quid tibi uisum sit, si tibi erit commodum, certior
 rem. Redeo ad sanum, nisi hac aetate absolutum erit,
 quam uides integram restare; scelere me liberatum non
 putabo. Vale.

EXPLANATIO

QUAM sit querula res calamitas: quam facile querantur, qui in cala-
 mitate sunt. Tacito Atticum hortatur, ut de fano maiorem adhibeat diligentiam; cum sciat, qua
 sit querula res calamitas. quod apertius paullo post: Nisi sanum fieri uidero, in cur sabis in te do-
 lor meus. MENTE in te quidem & minime ego quidem tecum queror: minime ego te accuso, quod
 hortos adhuc non inuenis; sed tamen ita auide sum affectus de fano, ut, nisi id fieri uidero, in cur satura-
 rus in te sit dolor meus. OMNES mas &c. & si me consolari uis, locum fano reperi. haec est una mei
 consolandi ratio. Paulo post: Si me leuari uis, haec est summa leuatio, uel, si uerum scire uis, una. AGET
 iniuste, & iniquum pretium poscet pro suis hortis. ep. 48. DOMINVM & hortorum Trebonij, & Cusi-
 nij. ep. 37. TUSCULANVM placet & ubi sanum fiat. ep. 36. & 47. PERFICIES & ut locum habeamus
 aliquem, ubi sanum extruere possimus. πρὸ πλάσματος & praefigmentum, qualis, inquit, futura sit Caesa-
 ris uituperatio de Catone, percipitur ex ea epistola, quam ad me Hirtius misit. Forte enim Hirtius in
 epistola idem faciebat, quod in libro suo, ut Catonem uituperaret cum laude Ciceronis. uide illud ep.
 39. Perpetrat ex eo libro; quem Hirtius ad me misit. SCELERE me liberatum non putabo. & scelerati pu-
 tantur, qui ubi non soluunt, item Cicero scelere se adstrictum putabat, donec sanum, quod filiae man-
 bus promiserat, non fecisset. infra ep. 42. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius uoti, ob-
 strictum puto. infra ep. 18. Quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto.

Cicero S. D. Attico. 41.

NVLLVM a te desideravi diem litterarum. uidebam enim quae scribis: & tamen susceptor, uel
 potius intelligebam, nihil fuisse, quod scriberes. ad VI.
 id. uero & abesse te putabam, & plane uidebam, nihil
 te habere. ego tamen ad te, fere quotidie mittam. malo
 enim frustra, quam te non habere, cui des; si quid for-
 te sit, quod putes me scire oportere. itaque accepi VI.
 id. litteras tuas inanes. quid enim habebas, quod scri-
 beres? mihi tamen illud, quidquid erat, non molestum
 fuit, nihil aliud scire me, noui te nihil habere. scripsisti
 tamen nescio quid de Clodia. ubi ergo ea est, aut quan-
 do uentura? placet mihi res sic, ut secundum Othonem
 nihil magis, sed nequa hanc uendituram puto: delecta-
 tur enim, & copiosa est: & illud alterum quam sit diffi-
 cile, te non fugit, sed obsecro enitatur, ut aliquid ad id,
 quod cupio, excogitemus. Ego me uine postridie exi-
 rum puto, sed aut in Tusculanum, aut Romam, inde
 fortasse Arpinum, cum certum sciero, scribam ad te.
 Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipsum, quod
 facis, faceres. putabam enim commodius te idem istud
 domi agere posse, in expellatione sublata. Vale.

EXPLANATIO

VIDEBAM enim, quae scribis: & cum uiderem quae scribis, te scilicet esse occupatissimum, nullum
 a te desideravi diem litterarum, hoc est, numquam desideravi, numquam expectavi tuas litteras,
 & tamen etiam, te non habere quod scriberes, intelligebam. MITTAM & aliquem ex meis, qui tibi a
 me litteras afferat, ut habeas, cui tuas ad me dare possis. NIHIL aliud scire me, noui te nihil habere: & sci-
 re me, noui te nihil habere, praeterea nihil. SCRIPSI tamen & rectius, ut ego existimo, Scripsisti ta-
 men, quamquam, inquit, essent inanes tuae litterae; nescio quid tamen de Clodiae hortis habebant.
 RES &c. & horti Clodiae, uellem, inquit, Scapulanos hortos emere; secundum eos, Clodiae cupere.
 SECUNDVM Othonem & hortorum Scapulae pars ad Othonem heredem peruenerat; ideo dicit, Secun-
 dum Othonem, pro secundum hortos Scapulae, quo modo & infra paullo post, Malim primum Otho-
 nis, deinde Clodiae, eosdem Scapulae hortos significans. ILLVD alterum quam sit difficile, & Scapula-
 nos hortos habere, scis difficile esse. Cur difficile? quod & magni pretij res erat, & eorum hortorum
 quam partem Otho habebat, tantum aberat, ut uellet uendere, ut etiam a coheredibus reliquas partes
 emere cogitaret, difficile igitur erat Othonem in emptione uincere, qui & cupidus erat, & locuples, &
 heres. ep. 43. & 45. EXCOGITEMVS & si neque Clodiae, neque Othonis hortos consequi possimus; eni-
 tamur, ut aliud quippiam ad sanum excogitemus. Quod idem infra his uerbis: Si ista minus confici
 possunt, effice quiduis. AVT domum & Romam. supra epist. 40. VT id ipsum, quod facis, faceres: &
 ut domi te includeres rationum causa. contulerat enim se Atticus in suburbannum, ut rationes suas
 commo-

commodius posset conficere, interpellatione sublata. deinde venit in mentem, idem illud Romae posse facere, si se domi includeret, itaq. fecit. epistola 43. 44. 45. & 46. **COMMODIVS** § Romae, quam in suburbano.

Cicero S. D. Attico. 42.

EGO postridie iduum, ut scripsi ad te ante, Lanuuij manere constitui, inde aut Romae, aut in Tusculano. scies ante utrumque. Quod scies recte illam rem fore leuamento; bene facis; cum id esset; mihi crede, perinde, ut existimare tu non posses. res indicat, quanto perere id cupiam, cum tibi audeam confiteri, quem id non ita ualde probare arbitrer. sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus? immo uero etiam adiunandus. De Othone, diffido, fortasse quia cupio: sed tamen ma-

ior etiam res est, quam facultates nostrae, praesertim aduersario & cupido, & locuplete, & herede. Proximum est, ut uelim Clodiae. si ista minus confici possum, effice quiduis: ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius noti, obstructum puto. uidebis etiam Trebonianos: etsi absunt domini, sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano: ne aestas effluat: quod certe non est committendum. Vale.

EXPLANATIO

QUOD scies recte illam rem &c. § deprauatus locus: neque scripti libri dissentiunt ab impressis, quod si coniecturis locus esset, quas ego probare non soleo, nisi cum ad litteram admodum accedunt; legerem sic: Quod scribis, reri te, illam rem fore leuamento: bene facis, quamquam id esset, mihi crede, perinde, ut existimare tu non posses, ut, illam rem, fanum intelligas: & uerbum, Esse, referas ad dictionem Leuamento. In epistola ad Paetum similiter fere locutus est, cum inquit: Gaudeo perspectam tibi esse curam meam ualitudinis tuae: sed mihi crede, non, ut est reapse, ex litteris perspicere potuisti. **PERINDE, ut existimare tu non posses.** § maiori leuamento, quam tu existimare posses. **DIFFIDO,** § me posse eum uincere in hortorum licitatione. ep. 39. **ADVERSARIO** § Othone: qui & se eosdem Scapulae hortos a coheredibus suis emere uoluisset. infra ep. 46. **Difficile certamen cum cupido,** cu m locuplete, cum herede. **ISTA** § ut neque Scapulae possim, neque Clodiae hortos habere. **MAIORE religione &c.** § fanum, filiae manibus promissum, donec faciam, maiore me religione obstructum puto, quam qui uota non persoluunt. ep. 18. & 19. **TREBONIANOS** § hortos, de quibus ep. 37. & 40. **DOMINI** § unum dominum nominat infra, in ep. 40. **Sed hic numero multitudinis unus est;** quia, dominus quisnam esset, ignorabar. ut ep. 41. **NE aestas effluat** § considerandum tibi & de hortis, & de Tusculano: ut, si hortos non inuenis, Tusculano utamur: ne aestas effluat: hoc est, ut omnino fanum hac aestate abfoluatur. ep. 40. & 26. lib. 13.

Cicero S. D. Attico 43.

ET Hirtium aliquid ad te συμπράξως de me scripsisse, facile patior, (fecit enim humane) & te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius: tu enim etiam humanus. Illum librum, quem ad me misit de Catone, propterea uolo diuulgari ab tuis, ut ex istorum uituperatione sit illius maior laudatio. Quod per Mustellam agis; habes hominem ualde idoneum, meiq. sane studiosum iam inde a Pontiano. perfice igitur aliquid: quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quemuis heredem potest effici. sed Mustellam id perfecturum, si rogaris, puto. Mibi uero & locum, quem opto, ad id, quod uolumus, dederis, & praeterea συμπράξως. Nam illa Siliij, & Drusi non satis cito δεπραυτῶν mibi uidentur. quid. n. sedere totos dies in uilla

ista? igitur malim primum Othonis, deinde Clodiae. si nihil fiet: aut Druso ludus est suggerendus, aut utendum Tusculano. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti: sed quae so confice, & te uacuum redde nobis. Ego hinc, ut scripsi antea, postridie idus Lanuuium, deinde postridie in Tusculano. contudi enim animum, & fortasse uici, si modo permansero. scies igitur fortasse cras, summum perendie. Sed quid est quae so? Philotimus nec Carini Pompeium teneri, (qua de re litterarum ad Clodium Patavinum missarum exemplum mihi Oppius, & Balbus miserant, se id factum arbitrari) bellumq. narrat reliquum satis magnum. solet omnino esse Fuluiaster: sed tamen, si quid habes. uolo etiam scire de naufragio Caniniano, quid sit. Vale.

EXPLANATIO

συμπράξως § ad indicandam similem animi affectionem accommodate, scriperat enim Hirtius, Ciceronis casum se dolere, de filiae morte. Tu enim etiam humanus § nam, si illam epistolam misisses, mecum

meum dolorem quasi tractando renouasset. **ILLIVS librum** § ep. 38. & 45. **ILLIVS maior laudatio** § Catonis. **AGIS**, § de hortis. ep. 46. & 50. **A PONTIANO** § a quo tempore eius amicum, uel affinem defendi Pontianum. **VT aditus sit emptori?** § ut in auctione ueneant. nam ad emptionem aditus est omnibus, cum quid per praeconem uenditur. uerebatur autem, ne coheredes ipsi inter se licerentur, omnibus exclusis. supra ep. 37. **Heredes**, inquit, Scapulae si istos hortos liceri cogitant; nihil est scilicet emptori loci. sin uenibunt; quid fieri possit, uidebimus. & ep. 41. **De hortis Scapulanis** hoc uidetur effici posse, ut praeconi subijciantur. id nisi sit, excludemur. sin ad tabulam uenimus, uincemus facultates Othonis nostra cupiditate. **PER quemuis heredem** § ex quattuor heredibus Scapulae si unus modo, quilibet, adnitetur, ut horti Scapulani praeconi subijciantur; perficiat. **MVSTELLAM** § qui erat unus ex heredibus. ep. 3. lib. 13. **ἐγγήματα** § ubi in senectute uiuam. **οἰκοδομητικὰ** § non satis officio patris familiae conuenire, fortasse quia non essent ita fructuosi horti, ut Scapulani. fructum enim & utilitatem spectare debet paterfamilias. **IN uilla ista** § sine fructu. **OTHONIS** § hortos, quos heres Otho cupit. ep. 43. **DRUSO ludus est suggerendus** § aliquod malitiae genus est excogitandum, ut suos nobis hortos Drusus uendat aequiore pretio. pro hortis suis iniqua postulabat Drusus, quod indicare uidetur illud: Si Silius noler, Drusus aget iniulce, ep. 40. & quoniam, uenditorem artificio decipere cum uolumus, aliquem subornamus, qui pretium non nisi minimum promittat, ut ille sua spe deiectus ad aequiora descendat, & nobiscum transigat multo minoris, quam quantum prius dixerat; aut hoc, aut quippiam huius generis significat, cum dicit, Druso ludus est suggerendus. **VTENDVM Tusculano** § sanum in Tusculano faciendum. ep. 36. & 40. **DOMI te inclisisti**, § ut rationes conficeres. quod intelligit & supra ep. 41. cum dicit: Venerat mihi in mentem monere te, ut idiolum, quod facis, faceres. putabam enim, commodius te idem, istud domi agere posse interpellatione sublata. & infra ep. 48. Velim scire, quid tibi restet. aut iam ne cōfeceris. **CONTVDI enim animum**, § cum abhorreret a Tusculano, quod quasi admonitio uideretur amissae filiae; suspensus & incertus per aliquot dies ancipiti consilio pependit, utrum Lanuuius in Tusculanum, an Romam se conferret: itaque epistola 40. Postridie inquit, Iduum Lanuuij constitui manere, inde postridie in Tusculano, aut Romae. & epistola 41. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum. & ibidem: Ego postridie Iduum Lanuuij manere constitui, inde aut Romae, aut in Tusculano. & epistola 26. libro 13. Proficiscar hinc: quo autem Lanuuius? conor equidem in Tusculanum; sed faciam te statim certiore. Tandem uicit animum repugnātem, & in Tusculanum profectus est. ep. 41. & 42. **CONTVDI animum**; pugnaui cum animo meo, & uici. Idem ep. 45. Vincam, opinor, animum: Lanuuius pergam in Tusculanum. **Si modo permansero** § si modo in hac sententia permanebo, ut in Tusculanum eam. **Nec Cartini & c.** § narrabat Philotimus, tantum abesse ut Pompeius Cartini teneretur, ut etiam bellum esset adhuc satis magnum, **Cartini**: rectius puto, **Carteia**: nam, Cartini, mendosa dictio uidetur; cum in Hispania, qui hoc nomine appelleretur, locus omnino sit nullus. **Carteia** autem in extrema Baetica opidū est ad mare Ibericum, quo Cn. Pompeius Magni filius ex fuga se recepit, magno proelio uictus a Caesare ad Mundam. auctor est, qui librum scripsit de bello Hispaniensi. **TENERI** § quia sine copijs exire non audebat: ad extremū, seditione concitata, **Carteiesium** xxx naues longas occupauit, & profugit, auctor idem. **QUA de re & c.** § Clodius Patauinus acceperat litteras ex Hispania, Pompeium Carteia teneri. **Se id factum arbitrari** § cum dicerent, quod in litteris ad Clodiu missis esset scriptum, se id arbitrari, uere scriptum esse, ut Pompeius Carteia teneretur. **FVLVIAS TER** § Fuluius similis: solet Fuluium imitari, qui pro Pompeio facile mentiebatur. solet esse mendax pro Pompeio: itaq. nō uidetur ei magnopere credendum. ep. 7. l. 10. **NAUFRAGIO magna Camimiano** § ep. 36.

Cicero S. D. Attico.

44.

EGO hic duo magna συντάγματα absolui. nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. tu mihi etiam si nihil erit, quod scribas, quod fore ita uideo: tamen id ipsum scribas uelim, te nihil habuisse, quod scriberes, dum modo ne his uerbis. **De Attica**, optime. **ἄχνη** tua me mouet: etsi scribis nihil esse. In Tusculano eo commodius ero, quod & crebrius tuas litteras accipiebam, & te ipsum non numquam uide-

bo. nam ceteroqui ἀνεχτότερα erant Asturae: nec, quae refricant, hic me magis angunt. etsi tamen, ubicumque sum, illa sunt mecum. **De Caesare uicino** scripseram ad te, quia cognoram ex tuis litteris. eum, οὐλοῦν Quirini malo, quam Salutis. Tu uero peruulga Hirtium. id. n. ipsum putaram, quod scribis ut, cum ingenium amici nostri probaretur, ὑπερδύοις uitaperandi Catonis irrideretur. **Vale.**

EXPLANATIO

EGO hic Asturae adhuc erat, statim discessurus. **Duo magna συντάγματα** § duos libros Academicos, & quinque de Finibus: quae scripsit Caesare in Hispania bellū gerente contra Pompeij liberos. **ABERRARE** § ep. 37. Ego hic scribendo dies totos nihil equidem lenor, sed tamē aberro. **OPTIME** § quod ualet supra de Atticae inualetudine. **ἄχνη** § torpedo, scripserat enim Atticus, insolita quadam torpedine se teneri: quam graeco uerbo ἀνεχτότερα nominauerat. est autem unum ex indicijs, quae morbum praenunciare dicit Hippocrates. **ETSI scribis nihil esse** § etsi scribis nullius periculi rem esse. ἀνεχτότερα § dolor ex incertu filiae tolerabilior Asturae, quam in Tusculano. **Vt etiam ep. 26. l. 13.** Locum habeo nullum, ubi facilius

cilius esse possim, quam Asturae. ERANT \int quia discedere statim cogitabat, ideo dicit, Erant, licet adhuc esset Asturae. NEC haec, \int si esset in Tusculano, ut quibusdam placuisse uideo; cum illis arbitraret particulam, Nec, mendosam esse, & affirmationem requiri potius, quam negationem. sed, cum dixerit Cicero, Ego hic duo magna *συντάγματα* absolui: apparet, eum Asturae adhuc esse. MAGIS angunt *&c.* magis autem angunt in Tusculano, ex filiae recordatione: itaque *ἀνεκρότερον* hic erant. ETSI tamen pro Quamquam Cicero dixit Tamen etsi in epistola ad Plancium: Sed tamen etsi antea scripsi, quae existimari scribi oportere; tamen hoc tempore breuiter commouendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse. Quod si, Tamenetsi, pro tamenetsi ponitur: cur, Etsi tamen, reiiciamus: praesertim cum idem Cicero & etiam si, dixerit &, Si etiam, eodem sensu: ut in oratione de haruspicio responsis: Cuius si etiam uim, & grauitatem illam singularem ac paene diuinam assequi posses: tamen non dubito, quin ea tela &c. explano igitur. Etsi tamen, tamenetsi; uel, quod uisitatius est, tamenetsi. ILLA \int quae refricant dolorem: in Tusculano, inquit, magis angor: sed ubique tamen angor. ubique enim refricat amissae filiae recordatio, quamquam magis in Tusculano. DE Caesare uicino *&c.* \int in colle Quirinali & Quirini templum erat, & Salutis aedes, Salutis augurium dicta. cum autem in Quirini templo statua Caesaris posita esset, cum hac inscriptione, *θεῶ ἀνδρείῳ*, ut scribit Dio l. 43. facere ominatur Cicero & ait, eum *σουλταῶν* Quirini malo, quam Salutis: idest, Salutis in templo Caesarem esse nolo, ut scilicet seruari ne possit; in Quirini uolo, ut ob tyrannidem, quemadmodum ille, crudeliter a ciuibus occidatur. Vicino autem intelligit Attici. & paulo post per iocum, Domum, inquit, tuam pluris uideo futuram uicino Caesare. Domum enim Atticus habebat in colle Quirinali, ab auunculo hereditate relicta, ut in ipsius uita Nepos tradit; & habebat prope Quirini templum, ut in primo de legibus scriptum est, & P. Vitor in v. i. regione statim post templum Quirini collocat aedes Attici, eademq. in regione Salutis aedem statuit in colle Quirinali. unde illud ep. i. l. 4. Tuae uicinae Salutis. *σουλταῶν* Quirini \int infra ipse se explanat (ep. 28. l. 13.) eum dicit, hunc Quirini contubernalem. HIRTIVM: \int librum ab Hirtio scriptum contra Catonem. AMICI nostri \int Hirtij.

Cicero S. D. Attico. 45.

VINCAM, opinor, animum, & Lanuuius pergam in Tusculanum. aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est: (nam dolor idem manebit, tantum mediocrius) aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc ueniam, an ad decem annos. neque enim ista maior admonitio, quam quibus assidue conficior & dies, & noctes. quid ergo, inquires, nihil litterae? in hac quidem re, uereor, ne etiam contra. nam esset fortasse durior. ex-culto enim animo nihil agreste, nihil inhumanum est. Vale.

EXPLANATIO

VINCAM, opinor, animum \int Tusculanum fugiebat; quod eius loci, ubi Tulliola perierat, ad spectus renouare dolorem uideretur: itaque ep. 43. Contuli animum, & fortasse uici: & ep. 26. l. 13. Conor equidem in Tusculanum. non dixit Cogito. sed Conar, ut inuitus, & animo repugnante. Sic & Plautus locutus in Mil. Nunc hoc mihi ignoscas, quae so. Pe. uincam animum meum. Et in Pleu. Quo pacto possim animum uincere? Et in Trin. Tu si animum uicisti, potius quam animum te est, quod gaudeas. FVNDO illo \int Tusculano. MANEBIT \int aeternus erit. erit quidem dolor meus uitae aequalis, tantum aliquanto leuior: dies enim mitigabit. quod si Tusculanum, quasi admonitionem filiae, refugio: aut eo mihi numquam eundum est: (nam dolor idem manebit) aut, si iturus aliquando sum, nescio quid intersit, utrum nunc eam, an ad decem annos. ADMONITIO \int Tusculanum. cuius ad spectus admonitio quaedam amissae filiae uidebatur. non est, inquit, grauior dolor, quem ex Tusculani conspectu capio, quam qui me dies noctesq. conficit. QUIBUS assidue *&c.* \int quae erant istae admonitiones, quibus assidue Cicero conficiebatur? uirtutes Tulliolae.

Cicero S. D. Attico. 46.

TV igitur, ut scripsisti, nec id incommodo tuo. uel binae enim poterunt litterae. occurram etiam, si necesse erit. ergo id quidem, ut poteris. De Mustela, ut scribis. etsi magnum opus est. eo magis delabor ad Clodiam. quamquam in utroque Faberionum nomen explorandum est. de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus, & quidem, ut res est, emere nos uelle, nec posse sine isto nomine, nec audere incerto. sed quando Clodia Romae futura est, & quia tanti rem aestimas; eo prorsus Specto; non quid illud malim; sed & magna res est, & difficile certamen cum Cupido, cum locuplete, cum herede. etsi de cupiditate nemini concedam: ceteris rebus infirmiores sumus. sed haec coram Hirtij librum, ut facis, diuulga. De Philotimo, idem ego arbitrabar. Domum tuam pluris uideo futuram uicino Caesare. Tabellarium meum hodie ex Spectamus nos de Pilia, & Attica certiores facit. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

TV igitur, & subaudi, ad me uenies. **VEL binæ** & prius quam ad me uenias, uel binas uterque dare litteras poterimus. **OCCURRAM** & ueniam ipse ad te, si tu ad me minus commode poteris. **MAGNUM opus est** & ut Scapulos hortos habeamus; primum, quod emptori esse aditum heredes non hnt. (ep. 37.) deinde, quod, etiam si permittant, mihi tamen in auctione certamen impendet cū Othone, id est, cum cupido, cum locuplete, cum herede. ep. 46. **AD Clodiam** & ut potius de Clodianis hortis cogitem. **EXPLORANDUM est** & uidendum, quid de eo nomine sperare possimus; sine quo neutrum possemus, neque Scapulae hortos emere, neque Clodiae. **CVM Balbo** & quo adiuuante, nomen Faberianum facile potuisset expediri: quod, absente Caesare, cum Oppio temp. administrabat, & quae illi egissent, Caesar omnia probabat. supra ep. 28. **Communices, inquit, cum Balbo, & Oppio, quantopere, & quare uelim hortos, sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. NEC audere incerto** & non audeo hortos emere, incerto illo nomine, hoc est, nisi certus sim pecuniam a Faberio futuram. **QVIA tanti rem aestimas** & hic aliquis exponeret: quia scribis, Clodiae tibi hortos ualde probari, ego malo sic: quia scribis, Clodiae hortos multo minoris esse, quam Scapulae: adductus in hanc sententiam ab ipso Cicerone; qui se ipse interpretatur ep. 29. lib. 13. **A Clodia, inquit, sperare uideor ob eam causam, quod & multo minoris sunt, & Dolabellae nomen iam expeditum uideretur. At relatiuum, Tanti, numquid potest ad paritatem referri?** potest: & exemplum est ep. 38. interpretatione nostra satis illustratum. **ILLVD** & hortos Scapulos. **MAGNA res est,** & magni pretij. **CVM cupido &c.** & Othonem intelligit, unum ex coheredibus; qui & ipse eisdem hortos cupiebat. ep. 39. & 41. **HIRTI librum** & in quo colligit uitia Catonis. ep. 38. & 43. **ARBITRABAR** & eum esse mendacem, & illa, quae dixit de Pompeio, uera non esse. ep. 43. Solet omnino esse Fuluiaster. **PLVRIS uideo futuram** & uideo fore ut plures aestimeretur. **Locatur. VICINO Caesare** & non quod ille prope te habitet, sed quod eius statua sit in templo Quirini, & quo templo non longe abest tua domus. ep. 43.

Cicero S. D. Attico. 47.

DOMI te libenter esse, facile credo: sed uelim scire, quid tibi restet, aut ipse ne confecerim. ego te in Tusculano exspecto, eoq. magis, quod Tironi statim te uenturum scripsisti, & addidisti, te putare opus esse. *sentiebā omnino, quātum mihi praesens prodesse; sed multo magis post discessum tuum sentio. quamobrem, ut ante ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quot licebit. Vale.*

EXPLANATIO

CONFECERI & rationes. ep. 41. & 42. **TOTVS** & cum uniuersa familia. **QVOD licebit** & quot, in antiquis libris: & mandauit meis, ut ita imprimerent, ego, Quotus, ut dicat, Tu ad me, quotus licebit, pro, cū tot comitibus, quot mea uilla poterit recipere. unde illud apud Horatium in epistola ad Torquatum:
 ,, Tu quotus esse uelis, rescribes; & rebus omissis,
 ,, Atria seruantem postico falle clientem.
 Quotus esse uelis, dixit, id est, quot comites uelis tecum adducere. Et Martialist. Dic, quotus es, quanti cupias cenare: eodem sensu.

Cicero S. D. Attico. 48.

HERI non multo post, quam tu a me discessisti, puto, quidam urbani, ut uidebantur, ad me mandata, & litteras attulerunt a C. Mario C. F. eum multis uerbis agere mecum per cognationem, quae mihi seculum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi, cui sui, ut se defenderem: causamq. suam mihi per scripsi. rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Caesaris, propinquus eius, omnis potestas esset, uiri optimi, & hominis liberalissimi: me tamen ei futurum. O tempora: fore, cum dubitet Curtius consilium petere? Sed haec haec tenus De Tirone mihi curae est: sed iam sciam, quid agat. heri enim misi, qui uideret: cui etiam ad te litteras dedi. Epistolam ad Caesarem tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint, uelim ad me scribis. *Vale.*

EXPLANATIO

COGNATIONEM, & quia Ciceronis anus amittam C. Marij septies consulis in matrimonio habuerat. l. 3. de legibus. **QVEM scripsissem** & Cicero scripsit, uerbis librum de C. Mario, eumq. inscripsit, Marius. l. 1. de legibus. **L. CRASSI, cui sui** & L. Licinij Crassi, oratoris eloquentissimi, qui consul fuit cū Q. Mutio Scaeuola. Aui sui: materni. etiam ep. 8. l. 13. appellat eum L. Crassi nepotem. **VT se defenderem** & contra

contra eos, qui negabant C. Marij nepotem esse. Est autem hic Erophilus ille Equarius medicus, de quo mentionem facit Valerius c. 16. l. 9. quem Caesar extra Italiam relegauit, doctus non C. Marij nepotem esse, sed Erophilum quendam Equarium. cui deinde post mortem Caesaris unum esse impactum, quod de trucidando senatu cogitasset, scribit Cicero Philipp. 1. quod etiam significat in ep. 8. l. 14. **PROPTER QVI eius** § C. Marius, ille septem consularibus insignis, uxorem duxit Iuliam Caesaris amitam. ideo propinquum eius Caesarem appellat, Plutarchus in Mario, & Caesare, & Suetonius in Iulio; qui, eam a Caesare pro Rostis laudatam, scriptum reliquit: quod & Plutarchus tradidit. **O tempora,** &c. § scripserat Atticus aut sic, aut in hanc fere sententiam: Curtius consulatum uellet, sed dubitat petere. **O tempora,** inquit Cicero cum indignatione fore, cum dubitet Curtius consulatum petere? quasi dicat: Curtius igitur consulatum uellet? in sum igitur homines de consulatu cogitant? **O tempora.** **FORE** § uerbum per se positum, & est figura. *ἀπορία πόνου* quam appellat Quintilianus: quam fere solemus usurpare, cum quid indignantes pronunciamus: quale illud apud Virgilium; Me ne incepto desisteret uictam? **EPISTOLAM** ad Caesarem tibi misi. § ut mihi rescriberes, quid & tibi, & istis uideretur. Illa epistola Caesarem Cicero ad Parthicum bellum cohortabatur. ep. 2. & 3. 4. **HORTI** § Scapulari: quorum auctio futura erat. paullo post: De Virgilio, ut scribis, hoc tamen uelim scire, quando auctio.

Cicero S. D. Attico. 49.

V T. me lenaratus aduentus, sic discessus affli- utilis, quid dicam, gratus? ipse Romam uenirem, ut nus-
xii. quare, cum poteris, id est cum Sexti auctio- essemus, si satis consilium quadam de re haberem. Vale.
ni operam dederit, renises nos. uel unus dies mihi erit

EXPLANATIO

SEXTI auctio § Sex. Peducaeus, Attici amicissimus, quippiam in auctione uenditurus erat, Attico auctioem curante amicitiae causa, ep. 50. h. lib. & 2. l. 13. **QVI** dicam, gratus? § nedum gratus.

Cicero S. D. Attico 50.

TIRONEM habeo citius, quam uerebar. uenit etiam Nicias: & Valerium hodie audiebam esse uenturum. quamuis multi sint, magis tamen ero solus, quam si unus esses. sed exspecto te a Peducaeo utique. tu autem significas aliquid, etiam ante uerum id quidem, ut poteris. De Virgilio, ut scribis, hoc tamen uelim scire, quando auctio. Epistolam ad Caesarem mitti, uideo tibi placere. quid quaeris? mihi quoque idem maxime placuit, & eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimis ciuis, sed ita optimi ut tempora, quibus parere omnes πολιτικοί praecipunt, sed scis nobis esse uisum, ut isti ante legerent. tu igitur id curabis, sed, nisi plane intelliges placere, mitenda non est. id autem utrum illi sentiant, an uero simulent, tu intelliges. sed mihi simulatio pro repudiatione fuerit, τούτο δὲ μάλιστα. De Caerellia quid tibi placeret, Tiro mihi narrauit: debere, non esse dignitatis meae: per prescriptionem tibi placere: hoc metuere, alterum in metu non ponere, sed & haec & multa alia coram, sustinenda tamen, si tibi uidebitur. solutio est nominis Caerelliani, dum & de Metone, & de Faberio sciam. Vale.

EXPLANATIO

SI unus esses, § si te unum haberem, minus solus essem, quam cum multos habeo, maiorem enim ex tuo unius, quam ex multorum sermone delectationem capio. **A PEDUCAEO** § post auctioem Peducaei, ut ep. 50. l. 13. Ab ea igitur. **ETIAM** ante § non nihil significas, te esse uenturum etiam ante Peducaei auctioem. **QVANDO** auctio. § hortorum Scapulariorum. nam Virgilius unus ex coheredibus Scapularis, quod infra, ep. 26. l. 13. non obscure perspicitur. scribit enim sic: De Virgilij parte ualde probo, sic ages igitur, & quidem id erit primum, proximum Clodiae, ep. 48. Horti quam in diem proscripti sunt, uelim ad me scribas. **VT tempora,** § ut postulant tempora, nihil enim scripti in epistola, nisi quod optimum ciuem deceret, sed ut temporibus tamen paruerm, quasi dicat: non plane tamen, quod sentiebam, edidi, quid agas? rempora ita ferunt. De eadem epistola paullo ante. **ISTI** § Caesariani. **SIMULATIO** § nam, si eos simulare senseris, pro eo accipiam, quasi epistolam repudiarint. **DE CAERELLIA** § cui debebat, ep. 21. l. 13. haec est, quam epistolarum, quae Familiares uocantur, l. 13. commendat P. Seruilio. **PERSCRIPTIONEM** § solutionem, perscribemus enim in tabulis, cui data pecunia sit. **HOC METUERE** § uero, ne sit contra dignitatem meam, si ego diutiu debeam. **ALTERVM** § per prescriptionem, non metuis, ne non sit, unde soluamus. Ita locutus ep. 21. l. 14. **SUSTINENDA solutio** § uidendum nobis est, ut ne Caerelliae prius soluamus, quam de Metone & Faberio, debitoribus nostris, sciamus; uidelicet, an possint & ipsi nobis soluere, & id quando uelint.

Cicero

Cicero S. D. Attico. 51.

LTVLLIVM Montanum nosti, qui cum Cicero ne profectus est. ab eius sororis uiro litteras ac cepi, Montanum Planco debere, quod praes pro Flaminio sit, HS xx; de ea re nescio quid te a Montano rogatum, sane uelim, siue Plancus est rogandus, siue quare potes illum iuuare, iuues. pertinet ad nostrum officium, si res tibi forte notior est, quam mihi; aut si Plancus cum rogandum putas, scribas ad me uelim; ut, quid rei sit, & quid rogandum, sciam. De epistola ad Caesarem quid egeris, exspecto. De Silio, non ita sane laboro, tu mihi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, necesse est. sed nescio quid uideris dubitare de Clodias utrum, quando ueniat, an, sint ne uenales? Sed quid est, quod audio, Spinttherē fecisse diuortium? De lingua latina securi es animi, dices, qui talia conscribis. ἀρόγραφα sunt: minore labore fiunt: uerba tantum affero, quibus abundo. Vale.

EXPLANATIO

PROFECTVS est, } Athenas. **PRAES pro Flaminio** } ep. 16. l. 14. **QVID egeris,** } num ostenderis ijs, quibus scis ostendi me uelle. **DE Silio** } de hortis Silij, supra. **SPINTHEREM** } opinor intelligi filium P. Cornelij Lentuli, eius, quem ab allecla quodam Spinttheris cognomen sumpsisse Valerius tradit, nam pater iam perierat, ut in libro de claris oratoribus, & Spinttheris cognomine filium quoque Plutarchus appellat in Caesare, ep. 10. l. 13. & XI. l. 14. **SECVRI es animi,** } non laboras. Libros de philosophia his temporibus Cicero scribebat: quorum argumentum & sententias fere sumebat a Graecis; uerbis utebatur non admodum consuetudine tritis, cum Graecorum uerborum uim exprimere Latinis uerbis cogeretur, idq. consequi non posse usitatis: ut in eo nimium libertatis assumens, de lingua Latina minimum laborare uideretur. **TALIA** } de philosophia, quos autem libros, nō scribit: quod, tam prope cum essent, ut non modo per litteras, sed etiam praesentes saepe colloquerentur, nominare uidebatur esse minus necessarium. ἀρόγραφα sunt } haec quae scribo, non scribo cum labore, cum e Graecorum libris descripta transferam in meos. **VERBA tantum affero** } uerba affero de meo, res tuor a Graecis.

Cicero S. D. Attico. 52.

EGO, etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui uideor. Hic nobiscū sunt Nicias, & Valerius, hodie tuas litteras exspectabamus matutinas, erunt fortasse alterae pomeridianae, nisi te Epiroticae litterae impediunt: quas ego non interpello. Nisi ad te epistolas ad Martianum, & ad Montanum, eas in eundem fasciculum uelim addas, nisi forte iam dedisti. Vale,

EXPLANATIO

EPIROTIKAE litterae } quas in Epirum scribis tuorum negotiorum causa. Forte autem, Litterae, abundat, aptius certe ad breuitatem, Ciceroni in his epistolis familiarem, uideretur. **FASCICVLVM** } quem in Epirum mittis, ut ex Epiro deinde Athenas deferantur, nam Athenis erant Martianus, & Montanus cum Cicero filio. **DEDISTI** } fasciculum, in Epirum perferendum.

EXPLANATIO



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS

A D

T · POMPONIVM · ATTICVM

LIBRVM · XIII

PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



D Ciceronem ita scripsisti, ut neque seuerius, neque temperatius scribi potuerit, nec magis, quam quemadmodum ego maxime uellem. prudentissimē etiam ad Tullios. quare aut ista proficiant, aut aliud agamus. De pecunia uero, iudeo a te omnem diligentiam

adhiberi, uel potius iam adhibitam: & si efficias, a te hortos habebō. nec uero ullum genus possessionis est, quod malim, maxime scilicet ob eam causam, quae suscepta est; cuius festinationem mihi tollis, quoniam de aestate polliceris; uel potius recipis: deinde etiam ad

peruiri potest apertius, cui rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari uelim, sed me ipse renoco, non enim dubito, quin, quod me ualde uehe putes, in ea tu me ipsam cupiditate uincas; itaque istuc iam profecto habeo. Exspecto, quid istis placeat de epistola ad Caesarem. Nicias te, ut debet, amat, uehementerq. tua sui memoria delectatur. Ego uero Peducaeam nostrum uehementer diligo, nam & quanti patrem feci, totum in hunc ipsum per se aeque amo, atque illum amauit; te uero plurimum, qui hoc ab utroque nostrum fieri uelis. Si hortos inspexeris, et si de epistola certiores me feceris, dederis mihi quod ad te scribam: sin minus, scribam tamen aliquid: numquam enim deerit. Vale.

EXPLANATIO



CICERONEM § filium. SEVERTVS § obiurgans eum, quod immoderatos sumptus faceret, quod indicat illud, ep. 46. Turpe est nobis illum, qualiscumque est, hoc primo anno egeret: post moderabimur diligentius. MAGIS, quam quemadmodum § dictio, Quam, uidetur abundare, sic infra, Nec in hac quidem re quidquam magis, ut uelle, accidere potuit. TVLLIOS § Martianum, & Montanum, qui cum Cicerone filio Athenis erant, quod illud ostendit, epist. 50. l. 12. L. Tullium Montanum nostri, qui cum Cicerone profectus est: epist. 52. ibidem. Et illud: Misi ad te epistolas ad Martianum, & Montanum. AVT ista proficiant § ista, haec diligentia, qua tu in litteris tuis ad Ciceronem & ad Tullios usus es. Proficient: ut Cicero in sumptibus sit restrictior. DE pecunia § a debitoribus exigenda, ut hortos emere posset. OB eam causam, quae suscepta est § ob fanum, quo filiam consecrare deliberatum est. CVTVS festinationem mihi tollis § non uis me festinate, neque pateris ut ego te urgeam, cum haec aestate nos,